Quod utrumque prudenter amolitus eſt Henricus, ac primùm cùm uxor ad eum in Germania agentem adſpiraret: vetuit, juſſitque in regno ſubſiſtere, & adventum ſuum exſpectare, coram ſuis (cum bono Deo) hæredem regni parituram. Deinde, uxore etiam ipſa ſic volente, in foro tentorium expanſum facta poteſtate. Nobilibus fœminis veniendi, & parientem, ac partum pariter oculis uſurpandi. Peperit igitur in tali, ut ſic dicam, ſcena Fridericum, paterni avi nomine appellatum: Hæc ſatis mira in illa ætate, etſi rei fides aliqua jam antè ab Abbate Joachimo facta, illo cujus vaticinia tunc clara erant, & nunc quoque tradita ſcriptis leguntur. Quippe parituram prædixit, & quidem filium, tali vita, & ſorte: quæque alia Friderico evenerunt.

Etiam Minores Natu.

Cauſæ complures ſunt, ob quas nonnunquam minores natu, quæ primogenitis ſceptra ineant, & ſuccedant Principatibus, una erit indoles primogenitorum depravata, aut minus ſolers.

Jacob Patriarcha moriturus poſtquam ademit benedictionem filio primogenito Ruben ob inceſtum, & Simeoni, & Levi propter iram illorum pertinacem. Regiam poteſtatem reliquit ſequenti Judæ, & proli ejus, Juda, inquit, te laudabunt fratres tui, manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. Catulus Leonis Juda: ad prædam, fili mi, aſcendiſti, requieſcens accubuiſti ut Leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum? Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe eſt exſpectatio gentium. Et quamvis valdè Joſeph filium diligeret, & Beniamin filios noviſſimos, tamen principatum non illis reliquit, ſed Judæ, qui ſublatis anterioribus fratribus de medio propter crimina, & veluti redditis incapacibus ad imperandum legitimè, primum locum tenebat. *Geneſ. 49. 1. Paralip. 5.*

Tale Joan. Comnenus prætextum habuit Manuelem filium præferendi Iſaacio: idque moriens perſuaſit. Cepit igitur imperium, & tenuit: ſed revera non proſpexit, ne fratri fortaſſe niſi ab affectu patris præponendus.

Et verò rarò felix niſi turbandis rebus iſta electio, ut in Ptolemæo Lagi F. qui cùm minorem item, rupto gentium jure, regno impoſuiſſet: ipſa naturæ jura violata mox ſunt, cùm alter fratrem ſuum parricidio ſuſtuliſſet.

In Ptolemæo Phiſcone haud diſpar eventus, ſed purus à ſcelere blanditiis uxoris illectus juniorem ſeniori antehabuit, & ſceptrum credidit: ſed populus eo mortuo huic reddidit, & illi exilium dedit.

Quid in Ludovico Pio Caroli M. filio; ille item Judithæ uxoris ſuada Carolum minorem Ludovico in multis prætulit cum eo fructu, ut bellum ipſo vivo adhuc motum ſit, & arma adeò, junctis etiam aliis fratribus, in patrem ſumpta.

Ideò non nimis ridendi fortaſſe Pannonii, qui pertinaciter hoc jus ſunt tutati in ſuo Colomanno. Uladislaus Rex liberis ipſe orbus, Almum fratris ſui filium adoptaverat, animo, & corpore meliorem, ævo inferiorem. Ut autem rata magis electio eſſet, Colomannum fratrem ſacris initiavit, & procul à patria Lutetiam Pariſiorum, ſpecie ſtudiorum, ablegavit dicam, an relegavit? Hæc facta, & ipſe obiit; ſed ſtatim proceres, & populus Colomannum revocant, & venia exſecrationis à Pontifice impetrata, regem ſimul, & maritum fecerunt. Quem autem hominem; ridebis lector: ſtatura puſillum, lingua balbum, oculo luſcum, pede claudum, dorſo gibberum. Non monſtrum vides: tamen hic placuit, & jus hominum, & jam in ambiguo, penè dicam, homine ſervarunt.

In hac re tamen fateor morem Abyſſinorum (in Africa latè dominatur) non improbandum videri, aut improbum, qui gentiles omnes, agnatoſque Regis in una quadam arce educant, remotos à populo: quia & arx in monte penè inacceſſo eſt (Angam nominant) & valido præſidio cuſtoditur. Tenentur illic igitur, ne turbas, aut partes faciant: & mortuo rege, eum, qui maximè idoneus optimatibus, & cuſtodibus videtur, aſſumunt, & ſubſtituunt.

Altera cauſa eſſe poteſt, quæ olim inter Darii liberos litem movit, Artemenem, & Xerxem: Nam ex his Artemenes regnum jure, & more gentium petebat natu prior: at Xerxes controverſiam non de ordine, ſed de naſcendi felicitate faciebat. Nam illum Dario privato proveniſſe, ſeſe regi. Ita privatas illi opes deberi, quod tunc habuit, at ſibi regnum, in quo genitus, educatuſque eſſet. Contentio, quamquam de regno intra arma ſtetit: & arbitruum patruum ſumpſerunt Artaphernem, qui re penſiculata, præponendum Xerxem putavit, ſive ratione jam dicta, ſive indole utriuſque jam motus. De patruo judice in Juſtino ſcribitur: in Herodoto pater ipſe definit. Qui idem Herodotus alterum fratrum non Artemenem, ſed Ariobarzanem appellat.

Ipſum hoc in eodem Perſarum regno diù poſt movit Parysatis, Darii alterius Uxor: movit, ſed non eodem ſucceſſu: Nam ægro maritò perſuadere contra, ut Cyrum minorem filium Arſacæ (qui poſteà Artaxerxes dictus) in jure ſceptri præferret ipſa illa dicta cauſa, & quod in regno natus eſſet: non impetravit, & ſtabile priori jus ſuum fuit. Etſi callida mulier Xerxis exemplum ſuggereret: ſed quod paulò diverſum inveniet, qui explorabit. Nunc Artemenes tunc natus Dario fuit, cum verè privatus eſſet, nec in ſtirpe, aut jure ullo regio (quippe poſteà à magis inopinatè electo) at Arſaces patri quidem nondum Regi natura, ſed nato è regibus, & in hanc ſpem ſublato. Itaque diſcrimen apparet in utraque ſorte: etſi nec id quidem alibi obſervatum, & quomodocumque primogenitis ſceptrum fore delatum.

Patruum, aut Nepotem Præferri Nonnunquam.

Sunt quoque qui patruum præferunt, rationem proximi ſanguinis adſpicientes, à patre rege, qui nepotem toto gradu antecedit, At nepoti fictio juris ſubvenit, & idem cum patre cenſetur, cur non ergo & in jura ſuccedat? Sed exempla variant.

Ludovicus Pius Bernardum Italiæ Regem dejecit, & vinculis, ac carcere coercuit, quia jus ſibi à patre Pipino primogenito vindicabat contra patruum Ludovicum.

Robertus Rex Neapolitanus, Clemente V. Pontifice ſic cenſente, jus regni tenuit contra Carolum Numbertum Hungariæ Regem: etſi iſte natus è Carolo Martello eſſet, Roberti majore fratre. Res clara eſt, & annalibus teſtata: ſed *Baldus* Juriſconſultus arbitratur, in regni uſum hoc à Pontifice factum, & quia optimus, & prudentiſſimus Robertus eſſet, quod res docuit, itemque ſalubri temperie, & partitione, quod Carolus jam regnum Hungariæ teneret, in eoque poſſet acquieſcere.

Jam olim etiam Numidæ pro communi jure habuerunt patruum nepoti præferri.

Similiter & Vandali idem uſurparunt.

Itemque hodie & Moſcovitæ, ſed reſtrictius: nempe ſi impubes filius relictus ſit, tum patruus ſceptrum accipit: in Baſilio noſtro ævo factum. Aliter autem, ſi juſta nepoti ætas, atque ea diſcretio rationem ſuam habet.

Hæc pro patruo: plura ſunt pro nepote. Spartiatæ, ſapiens populus, ſic ſervarunt: & ipſe Lycurgus regnum Charilao fratris F. ceſſit, quod in manu ejus erat, omnium gratia, tenere.

Robertus Neapoleos Rex, etſi alio jure, ut dixi: promotus, hoc velut æquius, melius reſtituit: & ſententiam publico judicio ſic tulit, in litè ſuper Comitatu S. Severini. Quæ inter patruum, & nepotem vertebatur, & Juriſconſulti variè trahebant: meliores & ipſi ad nepotem flexerunt.

Otho Magnus Imperator judicio armorum rem commiſit. Pugnarunt ſingulari certamine, barbaro illo ritu, vicit nepos, quod iterùm ita ſub Henrico I. Imperatore adnoto eveniſſe. Ergo & Deus hanc cauſam videatur comprobaſſe.

Sed quod judicium, publicum, aut privatum, iſto Hiſpanienſi clarius? Rex Henricus defunctus erat, filio infante relicto Joanne, duos & viginti menſes nato. Patruus ei erat Ferdinandus, vir & ſolo virtutum merito (ut ſanguis ſeponatur) omni ſumma fortuna dignus. Itaque conjecti in eum oculi vulgi, & procerum: nec ambire opus, ambigebatur. Atque id non è ſingulis tantùm, & in privatis colloquiis, ubi adulatio timeretur, ſed in Conventu publico, hoc rei indicto, omnia non ſtudia, ſed aperta ſuffragia in eum ibant. Incitabat non ipſe ſolùm ævi maturus, virtutum ſpectatus, ſed & ætas pueri, quæ quando tandem gubernationi ſuffectura eſſet: Longùm annorum intervallum, bella in manibus, turbas, & diſſidia in metu eſſe: quæ ſemper ferè comitari, ubi penes alios regimen eſſet. Ergo ageret cum Deo bene juvante, expergiſceretur, & vel regni cauſa, caperet fraternum regnũ.

Surdæ

Surdæ aures ad has voces, & jus infantis oſtendebat, & Hiſpaniæ conſuetudinem: quæ eo magis tutanda ipſis, quo minus ille puer (hoc ipſo miſerandus) poſſet. Nondum tamen perſuaſerat, iterùmque Conventus, ſi fortè pœnitentia ſub eunte mutaſſet. Non ignarus ipſe rei, & affectuum, infantem clamide tectum occultè intulit: & cùm Davalus magiſter equitum, de communi conſenſu, iterùm tentaturus dixiſſet, Quem Regem, Ferdinande, renuntiari tibi placet; ille acri voce, & vultu. Quem autem, inquit, niſi Joannem, fratris mei filium; Et ſimul puerum in ſublime extulit, nomen Joannis identidem, & Regis, ut mox eſt, ingeminans: juſſitque vexilla explicari, & alia ſolita fieri in novo regno. Sed pauci iſti Ferdinandi: cui Deus tamen regnum Aragoniæ paulò poſt contulit, pretium virtutum, & Electione (de qua dixi) ſive judicio delatum.

Ingentes Clades ex hac Prælatione Ortas.

Violatio hujus juris ſuccedendi, & dum voluit minor ex filiis præripere regnum majori, peperit ingentes clades: tandem ſuccedentibus in irritum, ut plerumque, conatibus: neq; prætextus, quòd major eſſet minus imperandi idoneus, potuit tueri etiam electionem contra jus hoc naturæ.

Quod liquet ex duobus F. Alexandri Regis Judæorum, ut refert *Joſeph. lib. 1. de bello Jud. cap. 4. & 5.*

Eo enim mortuo, uxor ejus Alexandra, quæ duos illos Alexandro genuerat filios, natu maximum Hyrcanum, & propter ætatem declaravit Pontificem, & quod præterea ſegnior eſſet, quàm ut poteſtate regia moleſtus cuiquam videretur, Regem conſtituit, minorem autem Ariſtobulum privatum vivere maluit; quod ferventioris eſſet ingenii. Attamen mortua Alexandra Ariſtobulus regnum ſibi uſurpavit, donec poſt ingentes clades, & prælia à Pompejo victus, & captus, regnum Hyrcano reſtitutum eſt.

Pauſan. in Atticis narrat tragœdiam ob eandem cauſam his verbis: Ptolemæus, qui Philometor eſt dictus, octavus eſt Rex (Ægypti ſcilicet) à Ptolemæo Lagi filio. Id autem cognominis per illuſionem nactus eſt: neque enim regum quiſquam fuit unquam ex omnibus, quem majori mater odio proſequuta fuerit. Hunc enim majorem quamvis natu, regem ſalutari non eſt paſſa, & ut in Cyprum vivente patre ablegaretur, effecit. Cujus in filium acerbitatis, cùm aliàs fuiſſe cauſas, Cleopatræ commemorant, tum quod Alexandram natu minorem, ſibi obſequentiorem fore ſperabat: ob eamque rem primùm, ut eum Ægyptii regem crearent, ſuadebant: deinde cùm repugnante plebe id aſſequi nequiſſet in Cyprum Alexandrum miſit, Imperatoris quidem (patris) nomine re vera, ut per eum Ptolemæo formidoloſior eſſet ipſa. Poſtremò ex omni Eunuchorum numero, quos amantiſſimos eſſe ſui putabat, ſaucios in concionem produxit. Ptolemæum inſimulans & inſidias ſibi feciſſe, & Eunuchos vulneribus fœdaſſe. Quare Alexandrini commoti, non multùm abfuit, quin Ptolemæum impetu facto opprimerent: ſed cùm ipſe navi ſe periculo eripuiſſet, haud ita multò poſt, è Cypro reverſum Alexandrum, Regem appellarunt. Digna autem facinore pœna Cleopatram conſecuta eſt: eam enim filius quem ſuis ipſa conſiliis ad regnum evexerat, peremit: quo ſcelere detecto, cùm civium metu aufugiſſet Alexander, Ptolemæus in Ægyptum rediit, ac iterùm regno potitus eſt.

Juſtinus lib. 34. circa finem, ſcribit de Pruſia Rege Bythyniæ, quod ceperit Conſilium interficiendi Nicomedis filii, dum conſulere ſtuderet minoribus filiis, quos noverca ejus ſuſceperat, & Romæ habebat, re manifeſta adoleſcenti ab his, qui facinus ſuſceperant, accitum in patris regnum veniſſe, ſtatimque Regem appellatum, Pruſiam regno ſpoliatum à filio, privatumque redditum, etiam à ſervis derelictum, & cùm in latebris degeret, non minori ſcelere, quàm filium occidi juſſerat, à filio interfectum.

Prætulit quoque in ſucceſſione regni Pharnaces filiis ſuis Mithridatem fratrem tanquam magis utilem Parthorum regno contra morem gentis, ſed non diù apud ejus ſtirpem directam remanſit, ſed à filio ejus in patruum translatum fuit imperium.

Valerius Maximus lib. 9. cap. 11. Scipione Africano patris, & patrui memoriam gladiatorio munere Carthagine nova celebrante, duos regios filios, nuper patre mortuo, in arenam proceſſiſſe: pollicitoſque ſe ibi de regno præliaturos, quo ſpectaculum illud illuſtrius pugna ſua facerent, eos Scipionem monuiſſe, ut verbis, quàm ferro dijudicare mallent, ut regnare deberet, ac jam major natu, conſilio ejus obtemperaret, minorem corporibus fretum, in amentia perſtitiſſe: initoque certamine, pertinaciorem, impietatem fortunæ judicio morte mulctatam. Sic *Valerius Maximus*. Conſentire videtur *Liv. lib. 8.* Tamen hos fratres patrueles dixit Corbim, & Orſuam, de principatu civitatis, quam ibidem dicebat diſputantes, vel etiam illi cum aliis in gladiatorum manus etiam pro regno deſcenderunt duello terminantes ſucceſſionis eventum.

Geminorum Succeſſio.

Ex Geminis Quis Succedat?

Si gemini nati ſunt, is pro primogenito habendus, qui primò in lucem editus fuerit, quemadmodum in Jacob, & Esau nativitate: quamvis enim Jacob teneret plantam pedis prænaſcentis Eſau, tamen Eſau quia prior editus, primogenia habebat, donec remiſit, *Gen. 25.*

Neque enim, inquit Triphonius Juriſconſultus, natura permittit ſimul uno impetu duos infantes de utero matris excedere de ordine naſcentium non appareat. *L. Areſcuſa 15. de ſtatu hominem l. 1. P. tit. 5.*

Et quamvis gemini videantur eſſe ejuſdem temporis ratione conceptionis, & quamdiù fuerunt in utero matris: tamen quia agitur de ſucceſſione natorum, ordo nativitatis per quam emiſſi in lucem, magis conſideratur: nam quamdiù in utero ſunt matris, pars viſcerum illius dicuntur, atque partus nondum editus, non rectè homo fuiſſe dicetur. *L. in lege Falcidia placuit ad leg. Falcid. P.*

Quod ſi non appareat manifeſtè quis prior ex geminis editus fuerit, & feudum ſit indiviſibile. Ulpiani reſponſum videtur admonere quid ſtatuendum ſit, *in l. ſi fuerit legatum* 10. §. *ff. de rebus dubiis l. 34. P. tit. 5.* Planè, inquit, ſi ita libertatem acceperit ancilla, ſi primùm marem pepererit, libera eſto: & hæc uno utero marem, & fœminam peperiſſet: ſiquidem certum eſt, quid prius peperiſſet, non debet de ejus ſtatu ambigi, utrùm libera eſſet, nec ne: nec filia, nam ſi poſteà edita eſt, erit ingenua.

Sin autem hoc incertum eſt, nec poteſt nec per ſubtilitatem judicialem manifeſtari: in ambiguis rebus humaniorem ſententiam ſequi oportet, ut tam ipſa libertatem conſequatur, quàm filia ejus ingenuitatem: quaſi per præſumptionem priore maſculo edito.

Poſſet & ambiguitas major oriri, ſi exſecto matris utero in orbem venerint, & non nati ſint, de quo & *Bartholom. in d. l. Areſcuſa de ſtat. hominum.* de quibus quæſtionibus dubitatis, & aliquando conſultum eſt oraculum Delphicum à Lacedæmoniis, recenſet *Herod. in 6.* dum ait; Ariſtodemi Regis Spartiatarum uxorem Æginam peperiſſe geminos, eiſque natis, Ariſtodemum morbo deceſſiſſe. Lacedæmonios autem, qui tunc erant, inito conſilio creaſse Regem è pueris eum, qui eſſet primogenitus: ut lex jubebat. Sed neſcientes utrùm puerorum eligerent, cùm eſsent ſimiles, ac pares: idque cùm nequirent ipſi diſcernere, priùs fuiſse percontatos genitricem, eaque negante ſe dignoſcere: ſed diſſimulante, quòd videlicet, ut credibile eſt, magnoperè cuperet ambo effici Reges? ita de hoc dubitantes Lacedæmonios miſiſse Delphos ſuſcitatum, quid in ea re agerent: & his Pythiam reſpondiſse, ut utrumque puerorum Regem ducerent, ſed primogenitum magis honorarent: hocque reſponſo à Pythia edito, Lacedæmonios nihilominus incertos, quo pacto primogenitum reperirent, admonitos fuiſse à quodam Meſsenio nomine Panite, ut obſervarent, utrum puerorum mater priorem lavaret, cibaretque, quam ſi deprehenderent, eodem modo factitare, habituros id omne, quod quærerent, & inventuros, quod vellent: ſin illa alternando erraret, palàm fore, ne ipſam quidem quippiam magis noſse, & ut iſti aliam rationem inirent. Ibique Spartiatas ex admonitu Meſsenii obſervantes matrem puerorum, ignaram cur obſervaretur, animadvertentes illam præferentem alteri primigenium, tum cibando, tum lavando, accepiſse puerum, qui magis honorabatur à matre tanquam primigenium, publicèque alendum curaſse, impoſito ei nomine Euriſthene, juniori Proclis: unde regum duorum origo apud Spartiatas ex duabus familiis.

Videtur etiam eſse ſententia *Joannis Andreæ in addition.*

ad

ad Speculator.l.4.part.3.tit.de feudis, quod ſi neſciatur, quis A primo natus ſit, dividantur inter illos bona, & ſi res indiviſibilis ſit, ut regnum hic, ſorti res committatur: vel ad Dominum feudi, ſi de feudo agatur, recurrendum, ut alteri honeſtiori, & prudentiori aſſignet, cap.ſi.97.diſtinct. & ſi pares ſint, locum eſſe gratificationi l.ſi quis ſervum, ſ.ſi. inter de leg.2.c.penult. rer.quid ſit forſan de reſcript.in 6.

Reperitur apud Livium, & alios, qui ROMULI, & REMI narrant hiſtoriam, eos natos geminos ex Rhea Sylvia filia Amulii Regis, & cùm diſputarent de principatu condendo, ad proſequendum, & augendum avitinum, primigenii judicium Deo commiſiſſe, cùm neſcirent, uter illorum prior eſſet editus, & auguriorum ſorte exitum inde habuiſſe, ut qui plures vultures pro augurio habuiſſet, is jus poteſtatis haberet, contigiſſe autem plures Romulo, & proindè de ſuo nomine oppidum inauguraſſe.

SPURIORUM.

B AN ETIAM SPURII PRÆFERENDI?

Problema eſto.

Scribit *Damaſus Papa in Pontificali*, ſummum Pontificatum etiam tenuiſſe nothos habitos, ut ſpurios, Oſium, Felicem, Bonifacium, Agapitum, Theodorum, Gelaſium, & alios. *Refertur in cap, Oſius 56.ad.*

Refertur & à *Gratiano, ex D.Hieronymo*, quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus volvit non ſolùm de alienigenis, ſed etiam de adulterinis commiſtionibus naſci, nobis fiduciam, inquit, præſtans, ut qualicunque modo naſcamur, dum tamen ejus veſtigia imitemur, ab ejus corpore non ſeparemur, *in cap.8. Dominus noſter 56.d.*

Pro nothis ſanè adferri poſſent hiſtoriæ eorum, qui quamvis ſpurii, & illegitimi fuerint, tamen imperarunt honeſtè, & ſtrenuè, ut fertur de Jephte Galaadita Judice Iſraelis fortiſſimo. *Judic.11.*

Ferunt quoque, THEMISTOCLEM Principem fuiſſe ſpurium. *Plut.in Themiſt.& Athen.lib.13.cap.31.*

C TIMOTHEUS ſcorti filius, & Cononis, Athenienſium Dux fuit. *Athen.l.13.cap.3.*

Fuerunt procul dubio nothi, & ſpurii REMUS, & frater ROMULUS, qui principatum Romanum inſtituit, ut notant hiſtoriographi. *Livius, Dion. Halicarnaſ. Florus, Plutarchus, aliique,*

ARNULPHUS nothus Carolomannis Regis Bavariæ, fratris Caroli Craſſi Imper. à proceribus imperii Craſſo ſubſtitutus fuit, *teſte Cuſp.*

THEODORICUS Oſtrogothorum Rex, qui Italiæ regnum, pulſis Herulis, occupavit, Valamiri Regis ex concubina Aurilena filius fuit. *Jo.Magnus l.9.cap.9.*

Danorum Regi ſpurii multi fuere, qui ſucceſſere eidem, GERALDUS primùm, poſteà CANUTUS, & alii ordine. *Saxo lib.11.cap.12.*

In contrariam verò partem poſſent quoque adferri exempla, & rationes, quibus meritò nothi reiiciuntur à ſucceſſione regnorum, & principatuum. Periculoſæ ſiquidem ſunt ſucceſſiones iſtæ, in quibus participant nothi, etenim ut plerumque ſunt audaces, & ad vitia paterna, etiam majora procliviores; ſi ſint filii naturales, & legitimi, ſæpè prolem legitimam tollere ſatagunt, ut ſibi principatum aſſerant, ut exemplo ſunt Iſmael ex ancilla natus, qui D perſequebatur filium legitimum Iſaacum filium liberæ, ut meritò juſſum ſit Abrahamo patri, Eiice ancillam, & filium ejus. *Gen.16.*

Neque idem Patriarcha admiſit filios concubinarum ad ſubſtantiam hæreditariam, quam dedit Iſaaco, ſed tantùm munera illis ſeorſum diſtribuit.

ABIMELECH filius ſpurius Jeroboal, ſeu Gedeonis, ut regnaret poſt mortem patris, occidit ſeptuaginta fratres, filios patris naturales, & legitimos ſuper lapidem unum, excepto minimo Joathan. *Judic.cap.9.*

Cùm DEMARATHI nativitas Ariſtoni patri Regi Spartanorum renunciata eſſet, ſubducta ratione, quòd à nuptiis nondum elapſi decem menſes, negavit hunc ſuum eſſe filium, atque ut nothum abdicavit. *teſte Suida.*

Sicut etiam negavit ex ſe editum AGIS Leotyclidem, & proinde regno privatus, quamvis ex uxore Timea natus eſſet.

MARGARITÆ Flandriæ Comitiſſæ ſpurii, Joan. & Balduinus, ex Guillelmo præceptore furtivo concubitu nati, à reliquis fratribus naturalibus, & legitimis fuerunt à ſucceſſione E ejecti. *Paul.Æmil.lib.7.*

Fuerunt in regno Suevorum, Gothorum, Norvegianorum ita neglectui habiti ſpurii, ut viles fuerint habiti: neque etiam alii nothi Regum auderent inter honeſtos vix comparere, & proinde etiam Aimundus in concubinatu genitus ab Aimundo Gothorum Annozo, & Suevorum Rege, etiam legitimatus per ſubſequens matrimonium, ducta concubina ſub mortem, & hæres inſtitutus regni à patre, probus alioquin, nunquam potuerit à ſubditis populis plenam obedientiam conſequi, ut ſcribit *Joann. Magnus lib.18.cap.6.*

SPURIORUM SUCCESSIO QUAM EXITIOSA.

PHRAATES Phraatis Parthorum Regis ex Tharmuſa Italica F fœmina natus, nothus, conſilio matris, patre occultè interfecto, regnum occupavit, & ademit tribus filiis legitimis, & naturalibus, qui erant obſides Romæ: illudque tenuit, donec Parthi, quia inceſto matris ſe polluerat concubitu, regno deturbarunt, & expulſus brevi periit. *Sabellicus libro 1. Ennead.7.*

Sic JUGURTHA nothus ex Manaſtabile filio Maſſaniſſæ Regis Numidarum, adoptatus à Micipſa fratre Manaſtabilis, & factus particeps regni cum duobus filiis Micipſæ, Hiempſale, & Adherbale; Hiempſale necato, expulſo Adherbale, totum regnum ſibi vindicavit. *Salluſtius in bello Jugurthino.*

MANFREDUS Friderici II. Imp. ſpurius ex concubina Blanca Marchioniſſa Montisferrati genitus, Princeps Tarentinus, & Rex Siciliæ deſignatus, fertur patrem in Apuliam moventem, ex gravi morbo convaleſcentem ſuffocaſſe, cùm Conradum ex Jole genitum hæredem à patre inſtitutum accepiſſet, & Conradum fratrem veneno ſuſtuliſſet, & duos filios Henrici fratres, *teſtis Cuſp.* quamvis paulò aliter ſcribat. *Crantz. lib.8.Sax.cap.18.* G

Ita cùm PHILIPPUS Demetrii filius duos haberet liberos, unum ex juſto matrimonio Demetrium etiam nomine minorem natu; cui ex lege regnum debebatur, & Perſeum majorem natu ex pellice vulgato corpore editum, affecit calumniis apud patrem Perſius, ut Demetrius occideretur, ut ipſe ſuccederet, quod obtinuit mortuo patre: verùm cùm bellum moviſſet in Romanos, à L. Paulo Æmilio captus, regnum, & in carcere vitam amiſit; dignas parricidio pœnas luens. *Plut.in Æmilio.*

JACOBUS nothus Joannis Cypri Regis, vi, & auxilio Soldani ademit regnum Carlottæ filiæ legitimæ Joannis, & tandem factum eſt ejus morte, ut regnum ad Venetos perveniret jure hæreditario. *Bonfin.*

Exemplum etiam miſeriarum in Gallia fuit, poſt mortem Ludovici Balbi: nam relicta uxore prægnante, ex qua poſteà natus Carolus nomine Simplex, duo ſpurii ejus Ludovici Balbi, nempe Ludovicus, & Carlomannus, uſurparunt regnum, qui brevi tempore regnarunt, verùm illud effecerunt, ut illorum exemplo vivente Carolo Simplici, adhuc puero, Carolus Craſſus illis mortuis, voluerit quoque uſurpare imperium; & poſt illum Oddo Comes Pariſiorum Regens Franciæ, pendente minoritate Caroli Simplicis. Unde & via, & gradus facti ad invadendum regnum, & audendum in poſte- H rùm contra Regiam Caroli Magni ſtirpem, factionibus ad eam rem ortis, & ſævientibus, ut ferè Galliæ totius mutuis bellis extinctus fuerit ſplendor. *Æmilius, Sigebertus, & Luitprandus.*

HENRICUS II. Alphonſi XI. Hiſpaniarum Regis F. nothus, Petrum fratrem ſuum legitimum, qui poſt parentem Alphonſum Imperii habenas ſuſceperat, ſtricto gladio confodit, eoque interempto, regno potitus eſt. *Riccius Neapolitan.l.3. Regum Hiſpaniæ.*

Etiam FRIDERICUS Palatinus, qui nuper Imperium Romanum ſpe devorabat, & coronam Bohemiæ juvenili capiti malè aptaverat, unde & eam cum ignominia, & jactura ſuæ dignitatis, & Provinciarum, quas jure hæreditario pleraſque poſſidebat, depoſuit; errabundus apud Batavos, dum ira Cæſaris quieverit, aut Puritanorum factione auguſtiore faſtigio aliquando fulgeat, ex Ludovica Naſſovia, moniali profeſſa, quæ de Jure, & facto infamis erat, dum fractis votorum ſacrorum

repa-

repagulis ad ſæcularia tranſit; progenitus fuit. Et miretur A cordatus aliquis, ſi nihil viro principe dignum hactenus geſſerit, qui eam perfido lactè enutritus, tam peſtilenti educatione fuerit inſtitutus.

SUCCESSIONI AN VITIA CORPORIS OBESSE DEBEANT?

In Principatibus, qui ex ſucceſſione ſanguinis debentur, ſatis probandum exemplis videtur, non ideò primogenitum aut alium legitum hæredem privandum, quod videatur natura inhabilis, vel caſu in inhabilitatem incidiſſe.

Quemadmodum poſt mortem ANAXANDRIDÆ Regis Spartiatarum, Cleomenes etiamſi non videretur mentis compos, prælatus eſt tanquam major natu fratribus. *teſte Herod. in 5.*

Apud Lacedæmonios AGESILAUS, etſi claudus, tanquam proximior ad regnum vocatus.

OZIAS quamvis ob lepram, qua percuſſus fuit, factus fuiſſet inutilis regno, nempe quod à communione hominum ſeorſim habitans, non adminiſtraret regnum, tamen regno privatus non eſt, ſed pro eo filius ejus quamdiù vixit, nomineque B ejus palatium, & regnum adminiſtravit. 4. *Reg.15.* & 2. *Paralipom.26.*

Comitia Ungariæ COLOMANUM, etſi claudum, gibboſum, luſcum & balbum, fratri ſecundo genito prætulerunt, de quo anteà.

Neque LYSANDER invenit ſuffragatores, decernere deſiderans, ut in poſterùm non proximior ſuccederet in regno, ſed magis idoneus. *Plut.in Lyſandro.*

Et ex illo ſanè ſequeretur, ſi idoneus tantùm ſuccederet, infantes Regum, & principum, item filias in locis in quibus ſuccedunt fœminæ reiici à principatu, quod tamen non fieri, & ſatis conſtat, & æquum juſtumque eſſe plurima docent.

Neque ſubmota Regina Æthiopum CANDACE à ſede, quod eſſet capta altero oculo. *Volat.lib.18.Anthop.*

PHILIPPUS Rex Macedoniȩ altero oculo privatus fuit. *Juſtinus.*

Monoculus & ANTIGONUS Rex Macedoniæ, & Lycurgus Lacedæmoniorum Legislator. *Plut.in Sympoſ.Macrob.l.7.c.3. & Plut.lib.2.conviv.q.1.in Lacon.*

C Ægypti Rex SESOSTRIS, quamvis cæcus, tamen regnavit, & poſt eum ſucceſſor ejus filius Pheron, etiam cȩcus. *Diod. Sicul.*

PHINEUS Paphlagoniȩ: & Joannes Ziſca Bohemiæ, Reges cȩci fuere. *Apollonius, Rhodius lib.2. Argonaut. Fulgoſ. lib.3.cap.2.*

INGE Haraldi Hibernienſis Regis Norvegiorum filius, quamvis gibboſus, tamen ſtrenuè regnum tutatus eſt contra Magnum illud repetentem. *Saxo lib.14. & Crantzius lib.5. Norevgiæ, cap.9*

CAROLO VIII. Gallorum Regi, corporis totius effigies deformis fuit, *teſte Pontano l.2.c.34.*

CLAUDIUS Imperator Druſi filius, non ideò minus Imperator, quod vecors fuerit, aut ſtultus, *teſte Suetonio, & Sext. Aurelio.*

Neque CAROLUS VI. Galloru Rex ideò privatus regno, quod amens effectus fuerit, ſed eo regnante patruis commiſſa fuit adminiſtratio regni. *Paulus Æmil.l.10.Hiſt.Franc.*

Multa adferri poſſunt adversùs eos, qui non poſſunt negotia D Reipublicȩ per ſe expedire, quæ certè in deligendis rectoribus locum habere poſſunt. Sicuti *apud Platonem lib. de Republica* Socrates ex Æſculapii inſtituto, eos, qui natura ſua ſunt valetudinarii, ac propterea Reipubl inutiles, è medio excedere, & locum dare ſanis jubet, in quam ſententiam citatur *Euripides à Plutarcho Conſolat. ad Apollonium.*

Exoſus eſt mihi quiſquis producere.
Vitam cupit dapibus, ſimulque poculis
Magorum & artibus deflectens rivulum,
Devitet ut fati: Quem, cùm proſit nihil,
Orbi decebat emori & faceſſere:
Dantem locum ſtatim efflorescenti pubi.

Succeſſiones Imperatorum, Regum, Ducum, Comitum.
☞ *Pete ex Loco de Magiſtratu, Tit. Magiſtratus Chronologicè conſideratus.*

⁂

Succubi.

QUI, ET QUALES.

SUCCUBI intelliguntur dæmones, qui aſſumpta ſpecie muliebri ſe creduntur viris ſubiicere, ad exercitium turpis libidinis, quod poſſe dæmones facere, tenet *S. Auguſt.lib.15.de Civit. c.23.* ubi dicit impudens hoc velle negare. De hoc autem argumenta ex profeſſo multa diximus *in Loco de Dæmone, Incubis, Libidine.* Quidam ex tali concubitu generationem admittunt, alii negant, utrique probabiliter.

EXEMPLA.

De nobili Bavaro ſcribit *Delrio lib.2.Diſquiſ.mag.c.14.* cùm defunctam uxorem impatientius ferret, rediiſſe quadam nocte fœminam, ſeque reſuſcitatam mentitam eſſe, atque iterùm marito annis aliquot convixiſſe, & liberos ex eo genuiſſe, tandemque muliebri veſte penes illum relicta evanuiſſe.

Sunt parvuli quidam, quos Cambiones vocant, ſuntque lacte inſaturabiles, macilenti, ponderoſiſſimi tamen, & poſt annos aliquot evaneſcunt, & à continuo vagitu Vangiones Italis dicuntur. F

Talis erat, Puer quem ante annos fortaſſis L. per Galiciam, & Aſturias Hiſpaniæ, mendicus quidam ſumma cum defatigatione humeris bajulabat, quem viſum à quodam è Societate Jeſu teſtatur *Delrio ſuprà*, & in via repertum, tranſuectum fuiſſe jumento flumen quoddam, idque magna validæ beſtiæ moleſtia, ob ſummum illius pondus. Itaque comprehenſus mendicus, faſſus eſt dæmonem in forma pueri fuiſſe, volunt autem hos ex ſuccubis prodire.

Huc referri debent, quæ de Pictavorum Comitum ex Meluſina origine ſcribunt Hiſtoriæ Francorum.

Idem de Andegavenſis familiæ ſtemmate. *Polid. lib.13.Hiſt. Anglor.* & alterius cujuſdam meminit ex Galfrido. *Vincentius lib.3.c.16.Hiſtoriæ.*

Denique quod ex ore Ducum Bavariæ, & Saxoniæ narrat *Albinus, Notationib.in Metamor.*

Eſt etiam exemplum *in vita Pachomii Abbatis, c.9.*

☞ *Pete nonnulla ex Loco de Dæmone, Incubo, Libidine.* C

* Suffragium.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

SUFFRAGIUM ψῆφος Græcè eſt ſignificatio voluntatis in creando magiſtratu, judicioque ferendo, aut reo judicando, ſive tabellis, ſive calculis, ſive voce fiat. Accipitur per tranſlationem pro favore. Populus autem Romanus primùm voce, deinde per tabellam ſuffragium tulit, quomodo autem à voce ad tabellam deventum ſit, quibus temporibus, & quibus auctoribus, operæ pretium eſt cognoſcere.

Quatuor igitur Leges nominantur, ut puto omnes, Tribuniciæ, Gabinia, Caſſia, Papiria, Cœlia.

GABINIA ſanxit, ut populus in Magiſtratibus mandandis ſuffragium, non voce, ſed per tabellam ferret.

CASSIA biennio pòſt idem juſſit, in omnibus judiciis populi perduellione excepto.

PAPIRIA & ipſa populo tabulam dedit, in jubendis, ac notandis legibus.

CÆLIA, quo uno in genere vocis ſuffragium reliquum erat, hoc eſt, in perduellione, quod lex Caſſia exceperat, in eo gene- H re tabellam dedit; ita quatuor tribunorum pl. rogationibus, factum eſt, ut populus liberè, quod ſentiret, in omnibus comitiis, nullo inimicitiarum metu poſſet oſtendere.

SUFFRAGIORUM MODI VARII.

Apud Rom. æqualibus votis ſuper vindicando facinore in diverſa trahentibus, pro reo judicium ſtabat, quod videbatur æquiſſimum. Id quod ſæpè ab Athenienſibus factitatum eſt. Nam cùm de extinguendis Mityleneis ſuffragatores paribus votis diſſentirent, Diodori ſententia pervicit, quia lenior. *Alex.lib.3.cap.5.*

Veteres olim APOMAGDALIIS, hoc eſt, bucceis quibus manus in convivio abſtergebant, eaſdemque canibus in via obiiciebant, ſuffragia ferebant, utrùm ſequentis diei convivio intereſſe vellent. *Euſtath.Pollux, Athen.*

Cùm olim COLOPHONII domeſticis ſeditionibus tumultuarentur inter ſeſe, evenit, ut aliquot ex illis, mutatis ſedibus ad

Smyrnæos dæmigrarent. Dein accidit, ut cùm bellum gererent Smyrnæs, ac ſæpe numerò victi diſceſſiſſent, tandem adhibitis Colophoniis, quos in civitatem receperant, extiterint ſuperiores. Unde inſtitutum eſt, ut quemadmodum Smyrnæi non vicerant in bello, niſi Colophoniorum acceſſione, ita nec in ſuffragiis vincerent, niſi illorum calculum adjungerent. Proinde cùm Jonii duodecim civitatibus imperarent, quarum una Smyrna in publicis conſiliis, ſi quando Smyrnenſium æquales fuiſſent calculi, pars ea vincebat, cui ſubſcripſiſſent Colophonii illi, quorum opera vicerant in prælio. Nec abhorrent ab his, quæ refert Jabenus Scriptor Græcus. Duodecim Joniæ civitates convenire ſolitas: id concilium Panionium dicebatur: in quo ſi fortè calculis hinc atque hinc paribus nihil decerni poterat, accerſebantur Colophonii, qui victoriam adferebant utricunque parti fuiſſent ſuffragati. *Eraſmus in Adagiis.*

DINON Tarentinus prætura fungens, vir bello egregius, cùm rejeciſſent quandam ejus ſententiam cives, ut pronunciavit præco eam, quæ obtinebat, protenſa manu: Hæc, inquit, potior eſt. Sic Theophraſtus. Adjecit in Rytino Apollodorus, cùm retuliſſet: Hæ plures, præco: At hæc, illum dixiſſe meliores: ratumque feciſſe pauciorum ſuffragia. *Plut. in q. Græcis.*

☞ *Vide Locum de Sortibus.*

☞ *De Suffragiis viventium, Defunctis impenſis, videatur Locus de Purgatorio, Oratione, ubi de oratione pro defunctis.*

☞ *Notæ ſuffragatoris ſumantur ex Loco de Scriptione, Tit. de Notis Scriptionis. §. Notæ ſuffragatoriæ.*

* Sumptus.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

SUMPTUS à ſumo, quod pro impendere uſurpatur apud Grammaticos; impenſam ſignificat, eamque liberalem, cum magnificentia aliqua, & ſplendore conjunctam, quamvis nunnumquā inutilis ſit, immò & culpabilis δαπάνην, & ἀνάλωμα appellant Græci.

SUMPTUARIA LIBERALITAS.

Conſiderata reſpectu Perſonarum, erga quas exercetur.

☞ *Titulum hunc illuſtrabunt alii ſequentes, cùm hiſtoriæ ibidem applicatæ variis titulis valeant ſubſervire.*

SUMPTUARIA LIBERALITAS.
RESPECTU RERUM IN QUAS impenſa fit, per ſe conſideratarum. Sumptus facti.

IN LOCA MAGNIFICE' EXTRUCTA,
exculta, conſervata, refecta.

☞ *Loca magnificè extructa ad Volumen Topicum referri debent quatenus locant. Hìc ipſum efficientem conſideramus magnificis operis magnificum.*

IN GENERE MAGNIFICI IN ÆDIFICIIS.

PERICLES Athenienſem urbem magnificis ædificiis ornavit. *Plut.*

CLAUDIUS CÆSAR opera magna potiùs, quàm neceſſaria, quàm multa perfecit: ſed vel præcipua, aquæ ductum à Cajo inchoatum: item emiſſarium Fucini lacus, portumque Hoſtienſem: quanquam ſciret ex his alterum ab Auguſto precantibus aſſiduè Marſis, negatum: alterum à D. Julio ſæpiùs deſtinatum, ac propter difficultatem omiſſum. *Suet.*

VESPASIANUS Imp. præterquam quòd civitates plurimas terræmotu, aut incendiis deſtructas reſtituit, fecit & nova opera templum Pacis foro proximum, divique Claudii in Celio monte, cœptum quidem ab Agrippina, ſed à Nerone propè funditùs deſtructum. Item amphiteatrum urbe media, ut deſtinaſſe compererat. *Suet.*

DOMITIANUS Imp. plurima & ampliſſima opera incendio abſumpta reſtituit: in queis, & Capitolium, quod rurſus arſerat: ſed omnia ubi titulo tantùm ſuo, ac ſine ulla priſtini auctoris memoria. Novam autem excitavit ædem in Capitolio Cuſtodi Jovi, & forum, quod Nunc Nervæ vocatur. Item Flaviæ templum gentis, & ſtadium, & odeum, & naumachiam: è cujus poſteà lapidè maximus circus, deuſtis utrinque lateribus, extructus eſt. *Suet.*

M. ANTONINI opera hæc extant Romæ: templum Hadriani, honori patris dicatum, Græcoſtadium poſt incendium reſtitutum, inſtauratum amphitheatrum, ſepulchrum Hadriani, templum Agrippæ, pons ſublicius, Phari reſtitutio Cajetæ portus, Carracinenſis portus reſtitutio, lavacrum Oſtienſe, Antiatium aquæductus, templa Januviana. Multas etiam civitates adjuvit pecunia, ut opera, vel nova facerent vel vetera reſtituerent: ita ut & magiſtratus adjuvaret, & ſenatores urbi, ad functiones ſuas. *Capitol.*

SEVERUS Imp. in ſumptu faciendo omnium parciſſimus, nova ædificia extruxit, vetera reſtituit: atque Baccho, Herculique templum maximum ædificavit. *Dion. Nicæus, & Xiphilin.*

TRAJANUS Imp. & ante illum Nerva, multos ſumptus fecit, belli paciſque temporibus. Multa, eaque apprimè neceſſaria ædificavit: cujus generis ſunt viæ, porticus, ædificia publica: quorum tamen cauſa nullius unquam ſanguinem effudit. Magnificus enim natura, & magnanimus erat, atque poſtquam Circum collapſum reſtituit, majoremque reddidit atque pulchriorem: inſcripſit in eo, perfeciſſe ſe, ut populo Romano ſufficeret. *Dion, Nicæus, atque Xiphilin.* Galenus Medicorum Princeps æmulum ſe Trajani perhibet, quòd ut ille urbis ruinas poſt Nervam, ſic ipſe poſt Hippocratem medicinam reſtauravit.

DIOCLETIANI Imperatoris magnificentiam teſtantur non pauca, quæ extant Romæ, & in Dalmatia, monumenta. *Pont. c. 12. de Magnific.*

PROBUS Imp. diverſis in locis pontes, templa, porticus regias conſtruxit, multorum fluviorum oſtia patefecit, paludeſque exſiccavit: quinetiam in ſepeliendo Aradione, quem ſingulari certamine vicerat, animi magnitudinem teſtatus eſt, ſtructo ſepulchro, cujus latitudo trecentorum eſſet pedum. *Ibid.*

THEODOSIUS Imp. inter magnificos Principes jure collocandus eſt. Capta Conſtantinopoli à Mahometo, multa ejus monumenta Turcarum immanitas diruit. *Ibidem.*

THEODORICUS Oſtrogothorum Rex in Italia, præter ea, quæ in Romana ædificia reficienda impendit, Papiæ, & Modoetiæ (quæ oppida poſt Ravennam amavit) palatia: Arimini S. Stephani, & Ravennæ S. Martini in Cœlo aureo baſilicas, Spoleti quoque amplas ædes magno ſumptu ædificavit. Sipontinam civitatem, jam tum in ruinam vergentem, ut inſtauraretur, tributorum vacatione donavit. Apponi balnea, quæ æger Paduanus habet, muro concludi, ædeſque ſuperædificari curavit. *Branthius lib. 3. Sveciæ, c. 13. ex Caſſiod.* Patavium item reſtituit: ſed Ravenna regni caput, tunc maximè aucta eſt, excultaque ædificiis, ex urbe Roma, & Conſtantinopoli marmoribus advectis. *Jo. Magnus l. 9. c. 25.*

LEO IV. vel V. Rom. Pontifex, Solarium à Leone III. inchoatum abſolvit: arcem S. Angeli inſtauravit, & in veſtibulo atrii Lateranenſis ex marmore ſedilia fecit. Turrim in Vaticano apud S. Petrum extruxit, urbis mœnia, & portas vetuſtate collapſas reſtituit: & propugnacula quindecim fundamentis adjecit, quorum duo ad exitum Tyberis collocata erant, ad retundendam vim hoſtium, qui navibus ad urbem accedere hactenus poterant. Vaticanum muro cinxit, atque in urbis formam redegit, quam Leoninam vocavit, & conſecravit. *Platina.*

BARNABAS Vicecomes, Princeps Inſubrum, præclaris ſtructuris nobilis, ponte Tritianæ arcis: arce quoque ad Romanam portam, quæ Conchanæ domui jungebatur: ponte penſili ſupra tecta privatarum ædium perducto, inſtar longiſſimæ porticus, cujus adhuc aliquot interciſa membra, ſupra Craſſorum domos ſpectantur: Brixiæ arce, quæ ex molli clivo urbi imminet. In ſuburbanis Modoetiam majorum opus luculenter imitatus, ad Lambri amnis ripas Melenniano in vico domum peramplam munitæ arci perſimilem cum latericio ponte conſtruxit. *Jovius in vita ejus.*

FRIDERICUS Rex Siculus arces, templa. regias etiam plurimas magnificentiſſimè factas reliquit in Apulia, Calabria, atque Sicilia. *Pont. c. 12. de Magnific.*

PIUS II. Pontifex ædificandi ſtudio vehementer delectatus eſt. Impenſa ejus, ſcalæ templi ad Vaticanum vetuſtate collapſæ inſtauratæ: Veſtibulum ædium ad dignitatem, & tutelam loco munitum. Aream pro templi foribus, ruderibus purgatam ſternere parabat. Porticum, unde Pontifex populo benediceret, inchoaverat. Tibure arcem perfeciſſe priùs quàm inchoaſſe viſus eſt. Senis quadrato ſaxo gentilibus ſuis porticum faſtigiatam, & ornatiſſimam extruxit. Corſinianum, quod Pientiam à Pii nomine in Pontificatu accepto appellavit, civitatem fecit, templumque teſtudineum, celebre id quidem, & ornatiſſimas

mas ædes extruxit. Sepulchrum marmoreum paternis, maternisque oſſibus Senis in templo baati Franciſci condidit. *Platina.*

COSMUS Medices imitatus eſt priſcam magnificentiam, tum in condendis templis, ac villis: tum in bibliothecis faciendis: nec ſolùm imitatus eſt, ſed primus revocavit morem convertendi privatas divitias ad publicum bonum, atque ad patriæ ornamentum. *Pont. cap. 11. de Magnif.* Antequam Florentinæ reip. principatum adeptus eſſet, præter ſacras ædes, quæ aut Florentiæ permultæ, aut extra urbem magnificentiſſimæ extructæ, ac regio more conſpiciuntur, Hieroſolymis quoque Xenodochium inſtituit. Atque his omnibus extruendis, quemadmodum ex tabulis animadverſum eſt, quas diligentiſſimè confecit, ad quingenta numorum aureorum mille expenſa tuliſſe fertur. *Brutus lib. 1. hiſt. Flor.*

NICOLAUS V. Pontifex ædificavit magnificè, & ſplendidè tum in urbe, tum in Vaticano. In urbe ædes pontificias apud ſanctam Mariam ad Præſepe. Reſtituit & templum ſancti Stephani in Cælio monte: à fundamentis verò erexit ſancti Theodori templum inter Palatinum, & Capitolinum montem in plano ſitum. Pantheon quoque in medio urbis poſitum, templum vetuſtiſſimum M. Agrippæ opus, plumbeo tecto reſtituit: in Vaticano autem & pontificias ædes ſumptuoſi operis in hanc formam, quam nunc cernimus, redegit, & muros Vaticani præaltos, & latos inchoavit, jactis inſanis fundamentis ad turres, & majorem molem ſuperædificandam, quibus coerceri hoſtes poſſent, ne ædes pontificis, & beati Petri templum diriperentur. Inchoavit præterea ad caput templi beati Petri amplam teſtudinem, quam vulgò Tribunam vocant, quo templum ipſum auguſtius, & hominum magis capax eſſet. Pontem quoque Miluvium reſtituit, & ædes egregias ad Balnea Viterbiana ædificavit. Juvit & multos pecunia, qui in urbe ædificabant. Ejus etiam mandato vici urbis ferè omnes ſtrati ſunt. *Platina.*

SISTUS IV. Pontifex, qui Paulo II. ſucceſſit pontem Tyberis, qui ab eo dictus eſt, fecit: vias urbis magna ex parte ſtravit, templa quædam nova ædificavit, vetera inſtauravit, nulliſque in exornandam urbe ſumptibus pepercit, ut urbis alter Romulus dici poſſit. *Pont. c. 12. de Magnif. & Platina.*

CAROLUS IV. Imperator quàm magnificus in ædificiis fuerit, vel ſola Praga abundè declarat: cujus magnitudine non contentus, alteram de integro condidit, diviſis areis, poſitiſque domorum de ſuo inſulis, ut ad illas plateæ, vicique, & forum dirigerentur, vocavitque Novam civitatem, novis illam templis, noviſque ſacerdotiis, & omnibus rebus vitæ neceſſariis inſtruens. Arcem Vicegradenſem muro, propugnaculis, crebris turribus cinxit. Quanquam una illa turris, quam ponti Pragenſi ſuperpoſuit, facilè alias vincat omnes, decore, elegantia, artificio. *Dubrav. lib. 22.*

URBES MAGNIFICE' CONDITÆ.

BOBOAM Salomonis filius, Judæorum Rex, civitates munitiſſimas ædificavit quatuordecim, quarum nomina vide 2. *Paral. 21. & Joſeph. l. 8. Antiq. c. 10.*

NEPTUNUS muros Trojæ extruxit. *Virg. lib. 9. Æneid.* Feruntur autem habuiſſe in ambitu XL. millia paſſuum: nec aliam ob cauſam adſcribuntur diis auctoribus, quàm propter magnificentiam. De his *Lucan. lib. 6.*

Nec vetus iliacos attollat fabula muros,
Adſcribatque diis

OSIRIS, cùm per Arabiam juxta rubrum Mare iter faceret, ad extremos Indos perveniens, plures conſtituit urbes: ex quibus unam Nyſam appellavit, in ejus memoriam, à qua nutritus fuerat. *Diodor. Sicul. lib. 1. cap. 2. Rerum Antiq.*

Buſyris Rex Ægypti urbem condidit magnam, Solis urbem ab Ægyptiis, à Græci verò Thebas appellatam: cujus mœnia centum quadraginta ſint ſtadia ambitu complexa. Eam magnis ædificiis, ac ſpecioſis deorum templis, aliiſque ornamentis pulcherrimis exornavit. Simili modo & privatorum domos uſque ad quartam, aut quintam contignationem conſtruxit. Urbem inſuper omnem, non Ægypti ſolùm, ſed aliarum orbis omnium reddidit feliciſſimam. *Diodor. lib. 2. cap. 4.* Neque verò hortum tantùm, ſed totam urbem penſilem fuiſſe tradunt, exercitus armatos ſubter educere ſolitis Regibus, nullo oppidanorum ſentiente, flumine medium oppidum interfluente. At hæc ſi fuiſſent, non dubium eſt Homerum dicturum fuiſſe, cùm centum portas ibi prædicaret. *Plin. lib. 36. cap. 14.*

VECHOREUS Ægypti Rex Memphim condidit ambitu ſtadiorum centum, & quinquaginta, urbem omnium Ægypti præclariſſimam, opportuniſſimo totius oræ loco, ubi Nilus in plures ſciſſus partes efficit formam Delta. Quo fit, ut tanquam in Nili clauſtro poſita, aditum prębeat, prohibeatque ad ſuperiora loca navigantibus. Ob talem urbis opportunitatem poſteri Reges fermè omnes, relictis Thebis, & regiam, habitationes in ea ædificarunt. Ea propter diminuta Thebarum magnificentia, aucta Memphis eſt uſque ad Alexandri Macedonis tempus. Is urbem ſui nominis juxta mare condidit, in augmentum cujus poſteà Reges Ægypti omnes incubuerunt. *Diod. lib. 1. cap. 4.*

NINUS Aſſyriorum Rex, qui XVI. annorum ſpatio univerſam Aſiam ſubegit, ingentem urbem in Aturię campis, quæ Aſſyriæ regio eſt, ædificavit, CCCC. ſtadiorum ambitu Urbem à ſuo nomine Ninum dicit. Bibliaci libri, & Joſephus Ninivem vocant. Celeriùs quàm fides rei haberi poſſit, immenſum alioqui opus eſt ad exitum perductum. Mille & quingentas in orbem turres urbs complexa eſt, mœnia centenum pedum altitudine, amplitudine verò tanta, ut murorum faſtigia ternis eſſent plauſtris pervia. Nova huc ex Aſſyriorum primoribus tranſcripta eſt colonia: cętera multitudo propoſita uberrimi agri partitione eodem ſua ſponte confluxit. *Sab. l. 1. En. 1. ex Diod. Sic. lib. 2. c. 1.*

SEMIRAMIS Regina, mortuo Nino cupiens virum rerum gloria excellere, urbem in Babylonia condere aggreſſa eſt, accerſitis undique opificibus, atque architectis, cęteriſque, quæ ad tantam rem pertinebant, paratis. Adhibuit ad id opus perficiendum ex omni regione hominum millia terdecies tentena. Urbs ab utroque latere Euphratis, ut medius interfluat, ędificata: cujus mœnia ambitu ſtadia trecenta, & ſexaginta complectebantur, frequentibus turribus, ac magnis. Erat tanta operis magnificentia, ut in muri latitudine ſex equorum currus una ire poſſent. Altitudo incredibilis audientibus, ut Creſias Cnidius ait: ut autem Clitarchus, & qui cum Alexandro in Aſiam profecti ſunt, ſcripſere, pedum trecentorum ſaxaginta quinque. Addiderunt etiam, unoquoque anni die ſtadium muri abſolutum, ut tot ſint ſtadiorum circuitus, quot dies annum conficiunt. Mœnia ex lateribus, & aſphalato facta: quorum altitudo, ut Cteſias tradit, eſt paſſuum quinquaginta: ut quidam poſteriores ſcribunt, cubitorum quinquaginta: latitudo amplior, quàm qua duo currus veherentur. Turres ducentę, & quinquaginta numero, quarum altitudo latitudoque magificentiam æquat murorum. Cùm plurimæ paludes urbem circumſtarent, ea parte turres conſtruere non fuit opus, cùm loci natura eſſet admodùm munita. Inter murum, atque ædificia pomerium duo jugera confecerunt. Reliqua *Diod. l. 2. c. 4.*

SARDANAPALUS Mediæ Rex, ut ait Ariſtobulus, un die Anchiaium, & Larſum condit. *Strabo.*

NABUCHODONOSOR Magnus Aſſyriorum Rex, Poſteaquàm patri Nabulaſſaro in regno ſucceſſit, ab expeditione Ægyptiaca rediens Babylonem, ex manubiis templum Beli, ac reliqua munificentiſſimè excoluit: & veteri urbi alteram extrinſecùs adjecit. Providit etiam, ne poſthac poſſent hoſtes fluvium derivare, & ad urbem accedere: tres interiori civitati per circuitum muros, totidem exteriori: hos cocto latere, illos addito etiam bitumine, circundedit: cùm ſic communitæ, portas, quæ vel templum deceant, addidit. Ad hoc juxta paternam regiam, alteram ſumptuoſiorem multò amplioremque extruxit: cujus ornatum exponere fortaſſe longum eſſet, illud memoratu dignum, quòd hæc adeò ſuperba ſupraque fidem magnifica, quindecim dierum ſpatio perfecta eſt. *Joſephus lib. 1. contra Appionem ex Beroſo*, qui reprehendit Græcorum nugacitatem, aſſerentium à Semiramide Babylonem ædificatam fuiſſe.

ARPHAXAD Medorum Rex, Ecbatana urbem regni caput circummunivit lapidibus quadratis, ternos cubitos latis, ſenos longis. Murum fecit in altitudinem cubitorum 70. in craſſitudinem 50. Ejus turres centenum cubitorum extruxit in latitudinem 60. cubitorum fundatas, quarum quadraturæ latera utraque vicenos pedes patebant. Portas in altitudinem cubitorum 70. in latitudinem 20. erexit. Eum Nabuchodonoſor anno regni ſui 17. in campo Ragau vicit, & interfecit, urbemque Ecbatana cepit. *Judith. c. 1.* At *Plin. l. 6. c. 14.* Ecbatana à Seleuco conditam ait, & caput Mediæ conſtitutam.

DARIUS Rex Perſarum, cùm in Budinorū Scytharum regionem, cum exercitu veniſſet, octo urbes ingentes condidit, pari inter ſe ſpatio diſtantes, ſexagenorum ferè ſtadiorum, quarum ad Herodoti uſque tempora ruinæ extabant. *Herod. l. 4.*

ALEXANDER Magnus urbes plus ſeptuaginta in ſolo barbarico

barico excitavit, conſerendoque Aſiam Græcis myſteriis, feram eorum vitam curavit. *Plut. de Alex. fort. orat.* 1.

Margiana regio Mediæ vicina, apricitatis inclytæ: quæ ſola in eo tractu vitifera eſt, undique montibus incluſa amœnis: ambitu ſtadiorum mille quingentorum penè inacceſſo, ob incommodum arenoſæ ſolitudinis, quæ per centum viginti millia paſſuum undique verſum circumfuſa eſt: cujus amœnitatem Alexandre Magnus uſque adeò miratus eſt, ut ibi primam condiderit Alexandriam, quam mox à Barbaris exciſam, Antiochus Seleuci filius inſtauravit, & Seleuciam vocavit, cujus circuitus in ſtadia ſeptuaginta quinque diffunditur. Margus fluvius eam interluit. In hanc Orodes rex Romanos Craſſiana clade captos deduxit. Tradunt illum octo urbes in Bactriana, & Sogdiana condidiſſe. *Strab. lib.* 11.

Idem cùm in Ægypto urbem ædificare decreviſſet, eis, quos negotio præfecerat, injunxit, inter paludem, & mare, quem locum ipſe diligenter metatus, & ad regiones urbis ponendas partitus fuerat, eam extruerent, voluitque Alexandriam de ſuo nomine appellari. Cujus poſitio commoda valdè electa eſt, ob vicinitatem portus Phari. Rectèque in vicis diſponendis illud fuit conſideratum, ut omnes flatu ventorum, qui anniverſarii dicuntur, inſpirarentur. Ii per latiſſimum pelagi æquor effuſi, urbis aerem refrigerant, unde ſaluberrima temperies redditur habitantibus. Circuitum ipſum mœnium & magnitudine, & munitionibus admirabilem prorſus effecit. Cùm enim inter magnam paludem, & mare poſita ſint, duos tantùm terræ aditus habent, qui benè firmati ſunt, ut facilè defendi poſſint. Urbis forma, propè chlamydi conſimilis, habet plateam, à qua urbs ferè media dividitur, magnitudinis, & elegantiæ incredibilis. A porta enim ad portam pertingens, in longitudinem ſtadia quadraginta, in latum pedes centum perficit: domibuſque, & templis magnificentiſſimis undique eſt exornata. Juſſit Alexander, ut ipſa regia & ampla, & operibus præclaris admirabilis maximè fieret. *Diod. lib.* 17.

Antigonus Magnus in ſuperiore Syria urbem ad Orontem fluvium Antigoniam à ſe appellatam ſumptuosè ædificavit, quæ ambitu ſuo lxx. ſtadia contineret: Erat is locus commodus ad imminendum Babyloniæ, & ſuperioribus ſatrapiis, & rurſus inferiori ſatrapiæ, præterea Ægypti ſatrapiis idoneus. Haud longo tempore ſtetit urbs, quippe quam Seleucus Babyloniæ rex, victo Antigono, extirpavit, & oppidanos habitatum duxit in eam, quæ ab ipſo conſtructa, & ab eodem Seleucia fuit appellata. *Diod. lib.* 20.

Fama tenet, Annibalem Pœnum devicto ab Romanis Antiocho contuliſſe ſe ad Armenium Artaxam: cui cùm alia multa utiliter ſuaſiſſe, & docuiſſe, tum notata ejus loci, qui iners negligebatur, eximia indole, atque amœnitate, formam ibi urbis delineaſſe, eamque deducto eò Artaxe oſtendiſſe, hortatumque ad eam condendam. Quod regi cùm placuiſſet, atque ab eo contendiſſet, ipſe ut operis curam ſuſciperet: amplam excitaviſſe, & magnificam urbem, eamque accepiſſe ab rege appellationem Artaxata, Tigranis poſteà regiam, atque caput factam Armeniæ. *Plut. in Lucullo.*

Tigranes Armeniæ rex, Meſopotamiam ſubegit, Syriam, Phœniciamque vi cepit, Euphratem transgreſſus. Inde plurimùm elatus, urbem condidit prope Iberiam inter hanc, atque Zeugma, quod juxta Euphratem eſt, quam Tigranocerta nominavit, hominibus duodecim Græcarum urbium à ſe everſarum, congregatis. Sed Lucullus, qui adversùm Mithridatem bellum geſſit, continuò ſubſecutus, habitatoribus in ſedes ſuas dimiſſis, opus, quod adhuc erat imperfectum, demolitus eſt, atque in parvum vicum redegit, Tigrane ex Syria, ac Phœnicia pulſo. *Strab. lib.* 12. Græcos autem præbito viatico remiſit in patrias ſuas, Barbaros item, qui eò commigrare coacti fuerant. Itaque accidit, ut una convulſa urbe, multæ receptis civibus ſuis inſtaurarentur, à quibus ut benè de ipſis meritus, & conditor eſt cultus Lucullus. *Plut. in Lucullo.*

Cn. Pompejus, victo Mithridate, & Tigrane, condidit alias alibi urbes. In minori Armenia Nicopolim, ubi Mithridatem prælio vicerat. In Ponto, ubi Eupatoria fuerat à Romanis diruta Magnopolim. In Cappadocia alia, ubi Mazaca fuit: & in Cilia, ubi Palæſoli, Pompejopolim. *Sab. lib.* 4. *En.* 6.

Herodes Judæorum rex, cùm in Cæſaris Auguſti gratiam omnia facere inſtituiſſet, animadvertens in maritimis locum condendæ urbi opportuniſſimum (cui pridem Stratonis turris nomen fuerat) & formam ejus magnificè deſcripſit, & ædificiis marmoreis totam exornavit accuratiſſimè, tam regiis palatiis, quàm privatorum civium ædibus, quod fuit omnium operoſiſſimum, portum à tempeſtatibus tutum addidit: magnitudine Piræo parem, ſtationibus inſtructum, & diverſoriis, admirandum ſtruſtura, eò quòd propter loci naturam omnis materia tantæ fabricæ aliunde magno ſumptu convehenda fuerit. Perfecta eſt decimo anno poſtquam ædificari cœpta eſt, regni viii. ſupra vigeſimum, Olympiade cxcii. In ejus dedicatione magna fuit celebritas, & apparatus facti ſunt ſumptuoſiſſimi. Exciti enim ſunt ad certamen artifices muſici, & athletæ gymnicorum certaminum, ad hæc gladiatorum, ac ferarum comparatus magnus numerus, & quicquid hujus generis in pretio eſt tam Romæ, quàm apud gentes cæteras. Conſecratum eſt autem hoc quoque certamen Cæſari, inſtaurandum per ſingula quinquennia. Hunc omnem apparatum rex ſuo ſumptu magna ambitione undecunque curavit convehi, multa in hoc conferente etiam uxore Cæſaris Julia, & mittente permulta pretioſa ex Italia, ut omnibus computatis, ſumptus ad D. talenta accederet. *Joſeph. lib.* 15. *cap.* 13. *& lib.* 16. *cap.* 9. *Antiq.*

Constantinus Magnus Byzantium denuò condidit, & de ſuo nomine appellavit, multiſque monimentis exornavit, quæ ex omni orbe in ejus dedicationem advecta ſunt, adeò ut divus Hieronymus eleganter ſcribat, omnes penè urbes nudaſſe Conſtantinum, ut Nean Romam exornaret: quemadmodum in foro Trajani exornando veteres principes laborarunt. Ex arce enim, quæ fuerat Ilii, tranſtulit Palladium. Ex Troade æneam ſtatuam Apollinis, mirandæ magnitudinis. Ex Roma cochlidem columnam Porphyreticam, quam variis ſignis circundatam in foro lapidibus ſtrato locari juſſit. *Cuſp.*

Tamberlanes Scytha feſſus potiùs, quàm ſatiatus cruore vaſtitateque terrarum, in Scythiam reverſus, urbem Mercatin nomine condidit, magnificentiſſimam, ex ſubactiſque gentibus delectis, qui eò coloni deducerentur, frequentiſſimam exornavit ſpoliis, & trophæis nationum, regumque devictorum. *Æmil lib.* 10. *& Sab. lib.* 9. *En.* 9.

Fridericus II. Imp. cum ſexaginta millibus armatorum Parmam obſedit, eamque funditus ſtatuit delere, & in loco caſtrorum aliam condere. Proſpero ſucceſſu ab initio res cœpta eſt foſſa, vallumque in modum urbis deducta, urbs Victoria eſt dicta. Victorini nummi percuſſi, baſilica in honorem victoris martyris extructa. Duobus annis bellū atrox, variumque fuit Victoriæ urbi conditæ, omnia ea affuere, quæ nulli unquam principes habuerint, nulla poſtea civitas ſimul viderit. Veſtis varia, & pretioſa, animantes feræ, cicureſque diverſi generis, Elephantes, Dromedarii, Pantheræ, Pardi, Urſi albi, Leones, Lynces, Buboneſque Barbari, quos ex Africa, Aſia, & Ægypto legati Friderico adduxerant: hominum portentoſæ formæ, & in iis Saracenicus miles, illi in primis acceptus. Tanta præterea incolarum frequentia, commerciis etiam multarum gentium aucta, ut nihil ad ampliſſimæ urbis formam deeſſet. Cùm autem Fridericus Parmæ obſidionem continuans, paulo atrociùs in captos deſæviret hoſtes, quos ex baliſtis majoribus nonnunquam in urbem jacularetur: egreſſus (ut fit in ſumma deſperatione) urbanus populus, cum Apoſtolico legato, factaque irruptione in Victoriam urbem, cujus ſtragem paſſi ſunt, & miles diſſipatus: ſed brevi reparato exercitu, Placentiam Imperator evertit.

Valdemarus Gothorum, & Sueonum rex, conſilio patris ſui Birgeri Jeti Oſtrogothorum ducis, præcipuam Sueonum civitatem, & regiam Stocholmiam à fundamentis erexit, muriſque, & mœnibus fortiſſimis communivit, anno Salutis 1256. Eſt locus torrentibus undique circundatus, atque inter aquàm ſalſam, & dulcem ita poſitus, ut porta totius Svetiæ appellari poſſit. Prius Eſtones, Moſcovitæ, Ruſſi, Taveſti, per eas fauces continuè ingrediebantur, & clandeſtinis incurſionibus Sueones adorti prædabantur, Sed extructa Stocholmia, cives perpetuam pacem aſſecuti fuerunt. *Joan. Mag. lib.* 19. *cap.* 19.

URBES MAGNIFICE' REPARATÆ, RESTITUTÆ, MUNITÆ.

Epaminondas poſt Leuctricam victoriam natura magnarum rerum appetens, & ſempiternæ gloriæ cupidus, Arcadibus, cæteriſque ſociis ſuaſit, rurſus ædificare Meſſanam, quæ clxxxvii. antè annis à Lacedæmoniis diruta erat, & ſitum ad infeſtandam Spartam commodiſſimum tenebat. Conſentientibus igitur univerſis, omnes, qui de Meſſanenſibus reliqui manſerant extra Peloponneſum requiſivit, item alios, qui vellent, civitate donavit, Meſſenam condidit, conditam multis habitatoribus ornavit, iis terram inſtauratam ſorte diſpertivit, atque ita urbem Græciæ nobilem, inſignemque reſtituit, & reparavit, laudemque apud omnes mortales magnam eſt conſecutus. *Diod. lib.* 15. *& Pauſ. in Meſſ.*

Opificiorum mole, templorumque, atque ædificiorum ſubſtructionibus, quibus Athenas exornavit Pericles, cuncta quæcunque ante Cæſares Roma habuit ornamenta, haud quaquam ſunt conferenda: ſed longè, lateque ſine ulla comparatione, magnificentia, & nobilitate præ his obtinent illa primas. *Plut. in comparatione Periclis & Fabii.* Maximam certè urbi Athenarum venuſtatem ornatumque conciliavit, cæteris verò mortalibus ſummum ſtuporem: ac ſola Græciæ teſtimonio eſt, haud eſſe vanum, quod de illius ipſius prica predicatur potentia, & opulentia, operum, & ornamentorum urbis molitio. *Idem in Pericle.*

Augustus Cæſar, ne quem novi ſtatus pœniteret, Urbem pro majeſtate Imperii ornatam, & inundationibus, incendiiſque obnoxiam, excoluit adeò, ut jure ſit gloriatus λιθίνην marmoream ſe relinquere, quam γηΐνην lateritiam accepiſſet. Tutam verò, quantum provideri humana ratione potuit, etiam in poſterum præſtitit. Publica opera ſuo nomine extruxit, forum cum æde Martis Ultoris, quàm Philippenſi bello voverat. Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus, quam ictam fulmine à Deo deſiderari pronunciarent aruſpices. Condidit & Tonantis Jovis ædem in Capitolio, Cantabrico bello votam, cùm nocturno itinere fulgur ipſius lecticam perſtrinxiſſet. Fecit & porticum, baſilicamque Lucii, & Carii nomine, quos per Aſſem, & libram ab Agrippa patre emptos ſibi, Marcello ſororis filio extincto, cujus nomine theatrum extruxerat, adoptavit. Eſt & altera porticus, Liviæ conjugis, & ſororis Octaviæ nomine ab eo extructa. *Suet.*

Herodes Judæorum Rex Samariam, quæ jam dudum in rudera fuerat redacta, mœnibus cincturus, abrogato urbi vetere, novum nomen Sebaſtes impoſuit, agroſque ejus natura feraces habitatoribus diviſit, ut mox ab initiis eſſent locupletes firmiſſimum deinde murum circundedit, natura etiam loci acclivioris adjutus, & præter veterem ambitum, tantùm ſpacii complexus, ut nulli celebrium urbium cederet, erat enim xx. ſtadiorum circuitus. In ejus meditullio fanum ſeſquiſtadii amplitudine eſſe voluit, modis omnibus ornatiſſimum, in quo templum extruxit, cum quovis alio pulchritudine, & magnitudine conferendum: reliquas etiam urbis partes procedente tempore magis, ac magis excolere ſtuduit, ſecuritatem captans ex firmitate loci, quo arce uti voluit, pulchritudine verò loci ſuæ liberalitatis, ac magnificentiæ monumentum relicturus ad poſteros. *Joſeph. lib.* 15. *cap.* 11. *Antiq.*

Tiberius Imp. multa reſtituit in urbe ædificia, quæ corruerant: nullum prorſus ſibi vindicavit, ſed eis reddidit nomina eorum, à quibus ædificari cœpta eſſent, Auguſtale tamen ab imis fundamentis ipſe extruxit. *Dion.*

Cùm Lyciorum, & Carum urbes, Coon etiam, & Rhodon terræ ingens motus evertiſſet, eas M. Antonius Imp. infinitis propè ſumptibus, & ſumma in coloniis deducendis diligentia reſtituit. *Pauſ. in arcad.* Smyrnam ex graviſſimo terræ motu laceratam miſerè, ſua pecunia reſtaurari mandavit. *Xiphilin. in Anton.*

Alexander Severus compluribus oppidis, quæ terræ motu corruiſſent, inſtaurandis ædificiis tum publicis tum privatis pecuniam è vectigalibus ſubminiſtrari juſſit. *Pont.* 16. *cap. de Liber.*

Theodericus Oſtrogothorum Rex, Romam veniens, præfectos, Architectoſque inſtituit, ſacris ædibus, Capitolio, Palatio, Thermis, Theatro, cloacis, aquæ ductibus, & cujuſque opificii officinis in priſtinam formam, meliomve reſtaurandis. Præfecit vigiles, qui curam die, noctuque ſuſciperent, ne Urbis ornamenta, ſtatuæ, & ingeniorum monumenta, æri, aut marmoris inciſa, exportarentur. Sepulchrum Auguſti in valle Martia, Tiberim & inter viam Flaminiam, inſtaurari mandavit. Amphitheatri item (quod jam majori ex parte corruerat) ſaxa moveri niſi in ſolam murorum Urbis inſtaurationem, prohibuit. Statuas Principum æneas, aut marmoreas, equeſtres, pedeſtreſque non inatim multas, & generali edicto omnes juſſit conſervari, adhiberique curam, ne illæ interirent, quibus fides poſteris fieret, viros illos fuiſſe præſtantiſſimos virtutis magis quam fortunæ, innixos, per quos in, id magnitudinis res Ro. creviſſet *Caſ.*

Idem urbem Patavinam, quæ per annos lx. ab Attilæ excidio inculta jacuerat, vallo, & foſſa munitam, in priſtinam dignitatem reſtituit. *Caſſiodor.*

Othocarus Boemorū rex gloriari ſolebat, plura ſe ædificia non relicturum, quàm ut ad ea inſtauranda, ſarciendaque, & regenda unius hæredis cura ſufficeret. *Dubr. lib.* 17.

Casimirus Magnus Rex Poloniæ omnes ferè civitates, & arces in Polonia muro cinxit, plurimaſque arces, & baſilicas condidit. *Guagnin. in vita ejus.*

Alphonsus Rex Neapolitanus, portus pulcherrimam molem pluribus locis everſam reſtituit aquæductus ſub terraneos expurgavit, ac refecit, veteres fontes inſtauravit, novos nonnullos plurimis, & magnificis impenſis extruxit, aquas publicas diu jam magna ex parte diſperſas, in aquæductus alueum reduxit, vias urbis omnes vetuſtate detritas, atque convulſas nigra ſilice conſtravit, paludes omnes ad aeris ſerenitatem, ſalubritatemque exſiccavit. *Panorm. l.* 1. *de Reb. geſt. Alphon.*

Magnus Sforcia patriam Cotinolam fortuito incendio abſumptam, privata liberalitate inſtaurandam ſuſcepit, ſingulos cives cohortando, ut ædificare luculentius vellent: quando ipſe lateres, materiam, calcem, ſe gratuitò collaturum profiteretur. Factumque ſubinde eſt, ut celeriter reſtitutis, adornatiſque domibus, & directis regionum viis, privatim, & publicè magnificentiſſimo Principi gratiæ ingentes agerentur, quod opurtuna liberalitate, & privatæ cōmmoditati, & elegantiæ publicæ conſuluiſſet. *Jouius in vita ejus.*

SUMPTUS MAGNIFICI IN INSULAS, ISTHMOS. HUC

Inſulæ manu factæ.

Anysis Rex Ægyptius, cæcus expulſus in paluſtria à Sabaco Æthiopum Rege, inſulam ibi fecit, cinere, & humo eam exaggerans Nam ut quiſque Ægyptiorum juſſus illuc ibat, portans frumentum, ei mandabat, ut clàm Æthiope, ad ſe domo etiam cinerem ferret, Nomen inſulæ indidit Elbo, decem ſtadiorum magnitudine. *Herod. lib.* 2.

Juxta Dicæarchiam Tyrrhenorum oppidum, qui Puteoli jam dicuntur, calidæ effervescunt in mari aquæ. Ibi jactis molibus exſtructa eſt ab Incolis inſula, cum balneis aquarum calidarum, ut earum uſus aliquis eſſet. *Pauſ. in Arcad.*

Terra à continenti abſciſſa. Iſthmi perfoſſi.

Leucadia peninſula in ſinu Jonio, quondam Neritis appellata, opere Accolarum adſciſſa à continenti, ac reddita ventorum flatu, congeriem arenæ accumulantium, qui locus vocatur Dioryctos, ſtadiorum longitudine trium Oppidum in ea Leucas, quondam Meritum dictum. *Plin. lib.* 4. *c.* 1.

Herod. lib 1. prodidit Knidios Iſthmum, qua auguſtiſſimo ſpacio, nempe quinque ſtadiorum, ſpectabat continentem, perfodere adortos, quò inſulam facerent: cæterùm ictos ſcopulos in fodientium oculos reſiliiſſe: deinde Delphicum Apollinem ab eis conſultum, trimetris reſpondiſſet.

Ζεὺς γάρ κε ἔθηκε νῆσον, εἴ κ' ἐβούλετο. *Id eſt,*
Ἰσθμὸν δὲ μὴ πυργοῦτε, μηδ' ὀρύσσετε,
Neque cingite Iſthmum mœnibus, neque fodite.
Nam ſi Jovi id viſum, locaſſet in ſalo.

Atteſtatur *Pauſ. in Corinth.*

Nicanor Seleucus aggreſſus eſt Iſthmum, qui dirimit Euxinum, & Caſpium mare, nec perfecit, à Ptolemæo Ceranno interfectus. *Eraſm. in Proverb.*

Alexandro M. id unum ex animi ſententia non ceſſit, quod Mimantem fodere non potuit. *Pauſ. in Corinth.*

Dionysius major, Syracuſanus tyrannus, Italiæ extremam partem ad Terinæum ſinum, ubi xx. tantùm m. p. latitudo eſt, circa portum, qui poſteà Hannibalis dictus eſt, intercedere, & Siciliæ adiicere voluit. *Plin. lib.* 3. *c.* 10 A Græcorum ora, quæ & magna Græcia dicta eſt, Auſonium mare hanc Italiæ alluit partem, ac tam crebrò lancinat, ut in tres brevis ora curvetur ſinus, adeò interdumſeſe extenuans, ut nullibi ſit Italia anguſtior. *Sab. lib.* 1. *En.* 7.

Iſthmum perfodere dicebantur, qui magno quidem conatu, ſed irrito molirentur aliquid. Ductum ab Iſthmo Peloponneſiaco, ſeu Corinthiaco, qui efficiebat, ut naves longo, & ancipiti ambitu juxta Peloponneſum circumagerentur. Unde complures illum adorti ſunt, qua erat anguſtiſſimus, perfodere, nempè Demetrius Poliorcetes Rex. Dictator Cæſar, Cajus Princeps, Domitius Nero, infauſto, ut omnium patuit exitu, incæpto *Plin. lib.* 4. *cap.* 4. *Eruſ. in Adag.* Operis inchoati veſtigia ſuperfuiſſe tradidit *Pauſan. in Corinth.* Demetrius Iſthmum

mum perfringere conatus, ut claſſibus navigationis tranſitum A præberet, ab architectis prohibitus fuit: qui renunciaverunt, Jonum mare altius eſſe, quàm Ægæum. Itaque intermedium ſi incideret locum, univerſum ad Æginum tranſitum, cum ipſa pariter Ægina, & proximis inſulis demerſum iri. Necipſum navigationi utilem fore alveum, ob affluxus rapidam varietatem. *Strab.lib.*1. Nero ad Iſthmos ludos profectus, Iſthmi commoditate animadverſa, ejus perfodiendi conſilium cepit. Progreſſus in ſcenam, hymnum Amphitrites, & Neptuni cecinit, & canticum quoddam non magnum Melicertæ, & Leucotheæ. Cùm autem aureum ipſi ligonem porrexiſſent, Græciamque tanquam in tutelam commendaſſent, ad fodiendum profectus eſt, plauſu, cantuque proſequentibus illum tum omnibus. Atque ubi terram ter, opinor, tetigiſſet, deinde & quibus præfecturæ, atque imperia credita erant, opus unà capeſſere juſſiſſet: Corinthum rediit, Herculis adeò res geſtas omnes ſibi viſus ſuperaſſe. Qui in vinculis fuerant, petricoſis, atque difficilibus conficiendis exercebantur: exercitus autem ea, quæ terrea, ac plana erant, fodiebat. Ubi jam ſeptimum, & quintum diem fodiſſent, rumor quidam è Corintho venit, Neronem pœnituiſſe cœpti operis, & Ægyptios geometra, altitudinem metientes, haudquaquam eandem atque æqualem utriuſ- B que maris ſuperficiem deprehendiſſe: ſed cùm eam partem, quæ Lechæum aſpicit, altiorem judicarent, de Ægina in timorem veniſſe, ne ſi tantùm pelagus contra inſulam effunderetur, illa aquis obruta in profundum demergeretur. At Neronem à fodiendo Iſthmo ne Thales quidem abſterriturus fuerat, quanquam ſapientiſſimus, & naturalium rerum peritiſſimus, cùm incidendi illius majore ſtudio teneretur, quàm publicè canendi: ſed motus Occidentalium gentium, & Julius Vindex revocavit ex Græcia, & ab Iſthmo Neronem, frigidè adeò Maria dimenſum. Nam æquè alta è terra utrunque aſſurgit, eandemque ſuperficiem habet. Lucianus in Nerone. Philoſtratus in vita Apollonii negat, Neronem deſtitiſſe victum operis difficultate: ſed quòd timeret, ne admiſſum mare perderet Æginam, & res novas in imperio Romano coorituras portenderet: nam id prædixerant Ægyptii vates.

Memorabile, id eſt, Herodem Athenienſem ſophiſtam, tot tantiſque fuiſſe divitiis inſtructum, tantaque fuiſſe animi magnitudine, ut quamvis plurima paſſim tota modò Græcia, ſed in Italia quoque opera edidiſſet, quæ viro haud dubiè immortalitatem comparatura videbantur: tamen altior, & in- C quies animus, nil ſe dignum perfeciſſe opinabatur, quoniam Iſthmum non perfodiſſet. Splendidum ſiquidem arbitrabatur continentem abſcindere, maria diverſa conjungere, ambitum ſex millium, & viginti ſtadiorum (tot enim ferè navigando conficiuntur) in breve coniicere. Affectabat illa quidem hoc ut magnificum, & illuſtre: verùm ut poſſet, ab Imperatore non auſus impetrare, deſtitit; veritus ne vitio illi verteretur, velut id animo agitanti, cui ne fuiſſet quidem Nero par. *Cæl. lib.21.c.19.A.L.*

Inſulæ continenti adjectæ, adaggeratæ.

Legimus ab Plethone Gemiſto proditum, Euboeos Peloponneſiaci belli tempore, poſt Athenienſium in Sicilia cladem, cùm ab eorum defeciſſent ductu, fretum Chalcidicum adaggerare ſic adortos, animadverſa Athenienſium potentia, ut ſingulis modò triremibus meabilis pateret tranſitus: ad tanti moliminis rem aſſumptis Bœotiis quoque. Quin & anguſtias ponte junxerunt. Id cùm prohibere Athenienſes conarentur, in caſ- D ſum laborarunt, conatu excidit Philippus quoque. *Id.ibid.*

Cogitabat Alexander M. Clazomenas Joniæ urbem, ducto à continenti ſolo ad inſulam aggere, in peninſulæ formam redigere. *Pauſ. in Achaicis.*

Cherronneſon inſulam Propontidis Idem continenti adjunxit, Cyzicum dictam, quæ urbem cognominem habet. Duobus autem pontibus continenti jungitur. *Plin. Apol. ſcholiaſtes, & Strabo.*

Sumptus Facti in Aquas.
Huc

Aquarum, Fluminum, Lacuum, Marium derivationes, corrivationes, expurgationes.

☞ *Vide Locum de Aquis.*

Sumptus in Templa.
☞ *Vide Templum.*

Sumptus in Monasteria.
Coenobia. E

Gulielmus, Scotorum Regis Achaii frater, Caroli Magni militiam, cum IV. Scotorum millibus ſecutus, ut Chriſtum haberet hæredem, compluria cœnobia in Germania, Italiaq; ſtruxit, prædiis, & agris ad ſumptus dotata: ſanciens ut hoſpitales eſſent pro Chriſto, literis, & virtuti impenderent laborem, mortaleſque recta monerent: nullum autem, niſi Scotici ſanguinis virum, unquam in monachum aut cœnobiarcham adoptarent. Extant in rei monumentum cœnobia haud pauca in Alemannia, conſtanti Germanorum fide à primæva inſtitutione, vel hac noſtra ætate nihil mutata. *H.Boeth.lib.*10.

Quindecim cœnobia David Scotorum Rex in ſuo regno extruxit. *H.Boeth.l.*12.*Scot.Hiſt.*

Otho Bambergenſis Epiſcopus, Pomeranorum Apoſtolus, unum & viginti extruxit cœnobia, & oratoria Monachorum. *Bambergenſis Hiſtoria.*

Sumptus In Xenodochia.

Hircanus Judæorum Princeps (ut refert Egeſippus) prima Xenodochia, id eſt, peregrinorum receptacula, noſocomia F ægrotorum, orphanotrophia puerorum parentibus orbatorum, prochotrophia mendicorum, gerontrocomia ſenum, & infirmorum, cœnotrophia promiſcuorum, pædotrophia infantum magnificè inſtituit *Guid.Bitur.*

D. Joannes Chrysostomus, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, noſocomium Conſtantinopoli ſuis ædificavit ſumptibus.

Basilius Magnus, Epiſcopus Cæſarienſis, pauperum hoſpitia, & xenodochia extruxit: unum nobiliſſimum, Baſiliada de ſuo nomine dictum. *Sozom.l.6.c.*33.

Belisarius victis Vandalis Romæ duo zenodochia, quæ nos domos hoſpitales appellamus, ſua impenſa ædificavit: quorum alterum in via lata, alterum in via Flaminia extabat. Condidit & monaſterium S. Juvenalis apud Ortam urbem, additis fundis, unde monachi paſcerentur. *Platina.*

Alexius Comnenus orphanotrophion erexit, in quo puellas, & pueros parentibus orbatos ſua pecunia reſovebat. Fecit & Muſæum, in quo alios jubebat erudiri, pecunia ex regio vectigali data. *Raviſius ex Zonara.*

Constantinus Monomachus Imperator templum inſtituit, in quo gravati ſenio, & ad laborem inutiles foverentur. *Raviſius.*

Theophilus Imp. Xenodochium, hoc eſt, hoſpitale fecit G proprio nomine, in loco ubi prius meretricum diverſorium fuerat. *Cuſp.*

Mauricius Imp. domum condidit, in qua ſenes morboſi alerentur, quod Vivarium ſumptuoſum dicitur, multoſque ei ſuppeditavit ſumptus ad ſuſtentandos morbis confectos fratres. *Cedren.*

Isaacius Angelus Imp. domum Iſaaci Comneni Sebaſtocratoris, Manuelis Imp. fratris, in Pandocheum mutavit; ubi centum viri cibum capere, totidem lectis cubare, & totidem equi ſtabulari poſſent, Baſilicam Andronici Comneni in noſocomium convertit: ſimiliter quoque domum Magni Drungarii dictam. *Nicetas l.*3.

Pelagius II. Pontifex domum paternam in Xenodochium pauperum ſenum redegit. *Platina.*

Petrus Urseolus, Dux Venetorum, templum divi Marci incendio abſumptum reſtituit, & pauperum xenodochium extruxit. *Raviſius.*

D. Ludovicus Francorum Rex, Lutetiæ valetudinarium H pro æde Virginis extruxit Minoribus, & Prædicatoribus nondum ad culmen perductas ſacras ædes planè abſolvit. Cæcis egentibus ædem, & domum: Carthuſienſibus item ædem, & cœnobium: eadem Carmelitis. *Æmil. lib.*7.

Cosmus Medices etiamnum privatus, Hieroſolymi quò peregrini exciperentur, qui eò religionis cauſa accederent, hoſpitalem domum ſuis ſumptibus ædificandam, certo aſſignato agro, ex cujus vectigalibus, quæ ad illos alendos neceſſaria eſſent, ſuppeditarentur, ſive pietatis ſtudio, ſive gloriæ, & nominis, curavit. *Drutus l.*1.*hiſt.Flor.*

D. Rembertus, Hamburgenſis Archiepiſcopus, Xenodochium Bremæ, quod ad ſuſtentationem pauperum à D. Anſgario erat inſtitutum, inſigniter auxit: & non modò in ſuo Epiſcopatu, ſed ubicumque erant pauperes, alimoniam illis cum omni vigilantia curavit exhiberi: nobile poſteris verbum exhortationis relinquens: Non eſt, inquit, hæſitandum cunctis

ſubvenire

ſubverire pauperibus: quia in quo ſit Chriſtus ſed quando ad A nos veniat, ignoramus. *Crantzius l.2.Metropol.c.*11.

Sumptus in Scholas, et
Gymnaſia litteraria.

☞ *Conſule Tit. Academiarum, quæ illic, ut loca Inſtitutionis conſiderantur, hic tanquam opera Magnificentiæ.*

Ægidius Carilla, Cardinalis, Bononiæ collegium impenſis propriis conſtruxit, cui & redditus magnos pro ſcholaſticis Hiſpanis pauperibus perpetuò alendis aſſignavit. *Tarapha de rebus Hiſpan.*

Hadrianus VI. Pont. ab ſacerdotio parochiali in Hollandia' quo eum Margarita Maximiliani Imp. Rom. F. honeſtavit, & Decanatu Lovanienſi, cum collegii Vicecancellariatus magiſtratu conjuncto ditior factus, nihil mox antiquius duxit, quam Lovanii collegium, ut quintum adiiceretur, ſub Hadriani nomine luculenter ædificare, adjunctis prædiis, quibus ſtudioſi adoleſcentes oppreſſi inopia, cum doctoribus alerentur. Gratiſſimo namque animo, cum Porcii collegii, in quo puer educatus fuerat, benignitatem agnoſceret, privati beneficii gratiam publica liberalitate reponendam ſtatuebat. Quòd adeò B ſupra ejus vires Lovanienſibus eſt viſum, ut non minùs ambitioſè quàm piè tantæ rei inchoandæ conſilium ſuſcepiſſe diceretur, quando facultates ejus, quæ erant mediocres, vix jaciendis fundamentis ſuffecturas appareret. Sed cùm parſimonia, & ſancta frugalitate auctiores ſibi efficeret rerum omnium redditus, adeò ingenti animo cuncta eſt complexus, ſibi jam tum ampliorem, & ſupremæ quidem proximam fortunam præſagire, videretur. Ferunt, Bernardium Carvajalem Hiſpanum, qui erat inter Cardinales auctoritate, atque opibus inſignis, cùm id collegium tam felici auſu cœptum, quàm facili ſucceſſu operis perfectum admiraretur, quodam ingenuo dolore concepto, fortunæ ſuæ indignantem ſuſpiraſſe: quoniam id opus ad laudem ſempiternam Decanus haud planè dives condere fuiſſet auſus, quod ipſe tantus Cardinalis, ſicuti ab antiquo animi decreto deſtinaſſet, nondum inchoare potuiſſet. *Jovius in Hadriano VI.*

SUMPTUS IN THEATRA,
Amphitheatra, Circos.

☞ *Vide ia Loco de Amphitheatro.*

C Sumptus in Curias Fora.

Simon Athenis forum platanorum conſitione, & ambulationibus ornavit. *Plut. in Præceptis politicis.*

C. Jul. Cæsar, Romanum forum de manubiis unà cum æde Veneris genitricis, magnifica impenſa, & profuſis ſumptibus conſtruxit, cujus area ſupra ſeſtertium millies conſtitit. *Plinius l.36. cap.*15.

Fuit Romæ Trajani forum, regione octava, cum templo, & equo æneo, ac columna cochlide, cujus erat altitudo centum, & viginti octo pedum: intus erant gradus centum, & octoginta quinque, feneſtellæ quadraginta quinque. Illud Ammianus Marcellinus ſcribit ſingularem ſub omni cœlo fuiſſe ſtructuram, & vel nimium aſſenſione mirabilem, id cùm Imp. Conſtantius ſpectaret, hærebat attonitus, per giganteos contextus mentem circumferens, nec relatu effabiles: nec rurſus mortalibus appetendos. *Cælius l.28.c.10.& 12.*

Philippus Pulcher rex Palatium in inſula, quam Sequena Lutetiæ facit, extruxit magnificentiſſimè. ☞ *Pete ex Loco de* Curia.

Viæ publicæ Munitæ, stratæ,
D purgatæ, inciſæ.

Semiramis, cùm ad Jarceum montem Mediæ multis ſtadiis per plura præcipitia, ac convalles eſſet aditus, cupiens tum immortale ſui monumentum relinquere, tum breviorem facere viam: abſciſſis anfractibus, locisque concavis ad planum deductis, magno ſumptu iter brevius reddidit, quod uſque ad hoc tempus Semiramidis appellatur. *Diod.l.2.c.*5.

C. Gracchus Tribunatu ſuo elaboravit potiſſimùm in viis muniendis, tam utilitatis quàm oblectamenti, & ornatus curam gerens. Ducebantur enim directæ ad amuſſim per agros viæ: atque hinc lapide quadrato ſternebantur, hinc glareæ aggeribus advectis referciebantur. Complebat, & pontibus jungebat lacunas, torrentibus, vel ſpecubus excavatas, ac lateribus pari inter ſe faſtigio utrinque comparatis æquabilem habebat, & viſendam undique opus faciem. Ad hæc viam omnem per milliaria dimenſus (capit autem paulò minus octo ſtadia milliare) columnas lapideas ſpacii ſignavit gratia locavit. Alios lapides modicis inter ſe intervallis hinc inde ſecun- E dùm viam diſpoſuit: quibus equitantes ſine ſubiicibus ephippiariis conſcenderent commodius equos. *Plut. in Cajo.*

Clara cenſura fertur Appii Claudii, qui viam Appiam è Roma Brunduſium ſtravit, & aquam, quæ Appia dicta eſt, invehendam curavit. Vias perpurgaſſe, & itinera impervia muniviſſe, Scaurum Æmilium uſque Sabatios, M. Lepidum, & C. Flaminium in conſulatu Ariminum uſque, & deinde in Aquilejam, Flaminiam ſtraviſſe legimus. C. Julius Cæſar, commiſſâ ſibi Appiæ cura, dum illius refectioni vacat, magnas opes effudiſſe fertur. M. Æmilius Conſul pacatis Liguribus viam à Placentia, ut Flaminiæ committeretur, Ariminum uſque ſtravit: & Flaccus in cenſura viam per Formianum montem perduxit. Fuit qnoque inter celeres Latina, & Valeria: altera uſque Sinueſſam, altera ad Marſos, Nam Salaria, & Nomentana haud multæ longitudinis per Sabinos conſtratæ ſunt. *Alex.l.3.cap.*13.

C. Jul. Cæsar, non ſatis habuit exſiccare Pontinam Paludem, qua è re mirum in modum vicinis populis conſuluit: ſed per mediam viam ſtravit viam pontibus plurimis erectis, quò iter in urbem, & brevius eſſet, & commodius. Quorum veſtigia cùm hodie quoque ſingulari cum magnificentia plurimis in locis extent, ipſæ etiam ruinæ admirationi videntibus, atque contemplantibus ſunt. F *Pont.c.*11.*de Magnif.ex Suetonio.*

Augustus Cæsar, quò facilius undique urbs adiretur deſumpta ſibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia ſternendas diſtribuit. *Suetonius.*

Porta Petræ pertuſæ propè Baſileam Romanæ veſtigium magnificentiæ. ☞ *Vide Tit. Viæ perpetuæ.*

Trajanus ſtravit paludes Pontinas lapidibus, extruxitque juxta vias ædificia, ponteſque magnificentiſſimos fecit. *Dion. & Xiphilinus,*

Carolus Magnus viam ab Agrippinenſi Colonia, Pariſiorum Lutetiam versùs, muniviſſe, atque ſtraviſſe, vulgò fertur. *Avent.l.4. Annal. Bojorum.*

Pontes Magnifice
extructi.

☞ *Ne bellici quidem pontes hinc excluduntur, quatenus Magnificentiæ atteſtantur, qui Prudentiæ alioqui bellicæ nomine ad Stratagematum locum pertinent, ubi* G *de traducendo exercitu agitur.*

Nitocris Aſſyriorum regina, ſupra Euphratem fluvium, qni mediam Babylonem rectus præterfluit, pontem erexit, trium ſtadiorum difficillimum factu propter paludes, quæ urbem ambiunt. *Herodotus, & Curtius.*

Boſphorum omnium primus Darius Perſarum rex, ponte junxit. Eum Mandrocles Samius poſuit. Ipſe Jonibus Iſtrum cum claſſe ſexcentarum navium adnavigare, pontenque fluvio imponere: ac ſe ibi præſtolari luſcis, terreſtrem exercitum, in quo ſeptingenta millia equitum peditumque fuiſſe dicuntur in Europam ponte tranſmiſit. *Sab.l.8 En.*2.

Euripus Chalcidis ab Sunio ſtadia diſtat LXX. ſuperque illo pons à Bœotis factus, duorum imminet jugerum: utrinque autem turris, una quidem ex Chalcide, altera verò ex Bœotia. Ipſius refluxus, die quolibet, ac nocte ſepties curſum mutat. *Strabo.l.*9.

Eſt Hidruntum Jonii Maris, & Auſonii diſcrimen, modico aquarum intervallo Aulonis littoribus reſpondet. Id maris ſpacium, quod Italiam à Macedonia dirimit, quinque habet H & quinquaginta millia paſſuum. Pyrrhus rex cogitaſſe dicitur utramque terram alteri actis pontibus committere, mox & M. Varro piratico bello, cùm Pompeii claſſibus preeſſet. Sed uterque aliis diſtractus curis, tam memorabile opus intactus reliquit. *Sab.l.7.En.*10.

Ancus Martius, Rom. rex, ſublicium pontem Tyberi impoſuit. Hunc quia Pontifices (qua potiſſimùm religione adducti haud facilè dixerim) reficere conſueſſent, ab ea re nomen accepiſſe traduntur. *Sab. l.4 Enn.*2.

C. Jul. Cæſar uno die pontem in Arari conſtituit: alium ſupra Rhenum mira celeritate decem diebus abſolvit.

Trajanus Imp. Danubio pontem impoſuit: opus inter cætera, quæ ſumptuoſè, magnificèque ſunt ab eo edita, in primis memorabile. Pilas viginti numero ex quadrato lapide, centenis ſeptuageniſque pedibus inter ſe diſtantes, alto violentoque fluvio ab imis vadis ad faſtigium centenorum quinq uagenum pedum primò ſtatuit. Craſſitudo in ſingulis ſexagenorum fuit

pedum.

pedum Arcus inde fornicatim interiecti pontem ſtatuere, qui A à citeriore ripa ad ulteriorem ſtadia habuit ſeptem, pedes ducentos triginta: quod ſpacium, ſi ad notiorem menſuram redigas, habebit paſſus nongentos, & unum. Sed nihil fuit tam mirum in difficili opere, quam quæ fundandi ratio adversùs vim fluminis iniri potuerit, ut quæ primo, alterove loco ſtatuerunt, ſolida manerent, præſertim cœnoſo vadò, fluvioque minimè corrivabili, atque ibi loci maximè profundo. *Sabell. l.4. Ennead.7. ex Dione, Xiphilino*. Hujus pontis magnam partem Adrianus princeps diruit, veritus, ne ſi Tranſiſtrani aliquando pontis præſidium expugnaſſent, nullo in Myſiam negotio irrumperent.

Adrianus Imp. ſacris Eleuſinæ initiatus, multa Athenienſibus dona contulit, eorumque pontem reſtituit, quem Cephiſus fluvius inundatione, & alluvie diſſolverat. Fecit & Romæ ſui nominis pontem, qui adhuc extat. *Platina*.

Constantinus Magnus, Germaniæ perdomandæ intentus pontem inſtituit ad Coloniam Agrippinæ, non ut facultatem traiiciendi pararet (nam totum armatis navibus Rhenum inſtruxerat, & ripis omnibus milites diſpoſuerat) ſed ut gloriam Imperio, & limiti ornatum adjungeret, ſi quà ferociſſimus amnis eſſet, vel invito pontem impoſuiſſet. Hoc ubi inſtitui opus hoſtes viderunt, properè legatos, qui pacem B peterent, obſidibus pollicendis miſerunt. *Sigonius l.2. Imp. occid.*

Carolus magnus Moguntiaci Rhenum ponte junxit, cujus longitudo erat quingentorum paſſuum: tanta ibi eſt latitudo amnis. Decem annis per vices, opera Europæ extructus eſt, perpetuus fore viſus. Anno antequam decederet Carolus de cœlo tactus tribus horis conflagravit: adeò ut ne veſtigium quidem relinqueretur. Pro tigneo lapideum reſtituturus, priùs ex hac vita migravit. *Æmil. l.2. & Crantzius l.2. Sax. c.7.*

Inter nobilia opera Barnabæ Vicecomitis præſtantiſſ. fuit Tritianæ arcis pons, admirabili fornicis ſtructura amni Abduæ impoſitus, uſque adeò in altum exurgens: ut tribus ſuperædificatis tranſitoriis aditibus, infimo currus, cum machinis, & impedimentis, medio equites, ſummo peditatum uno tempore tranſmitteret. *Jovius in ejus vita*.

Galeatius II. Vicecomes pontem lapideum Ticino amni Papiæ impoſuit, mirabilis ſtructuræ, cum perpetuæ contignationis tectum adversùs ſoles, & pluvias ſuſtinentibus ab utroque podio ſiliceis columnis ſuperinduceret, & utraque pontis capita ſingulis propugnaculis muniret. *Jovius in vita ejus*.

C Mahometes II. Turcarum rex, Lemnum, ac Mitylenem inſulas cepit, incredibilique apparatu ponte ſupra Euripum conſtructo, Nigropontem expugnavit, Chriſtianis fœda ſtrage affectis ob claſſis Venètæ proviſoris inertiã, qui ventis etiam proſperis flantibus non auſus eſt pontem triremibus invadere. *Jovius in ejus vita*.

Sixtus IV. pontem ſuper Tiberim (quem ab ipſo Sixti pontem vocant) miro artificio, maxima impenſa extruxit, aliiſque ædificiis Romam ſibi adeò adſtrinxit, ut non injuria ipſius alter Romulus vocandus ſit. *Platina*. Pontis inſcriptio talis eſt:

Inſigni hoc ponte extructo, te Siſte, Quirites,
Nunc poſſunt verè dicere Pontificem.

Turres Excelsæ, et magnificæ.

Daniel Propheta, cùm ab omnibus Deo charus exiſtimaretur, & propter hanc de ſe opinionem apud reges Perſarum eſſet illuſtriſſimus: ædificavit apud Ecbatana Mediæ turrim, D opus pulcherrimum, & ſingulari admiratione dignum, quod in hodierum uſque durat, & ſpectantibus recentiſſimæ ſtructuræ videtur, ac ſi ea ipſa die, qua ſpectatur, eſſet abſolutum: tantam novitatis ſpeciem, & tam integram pulchritudinem habet, nihil omninò à tam longo tempore læſam, præter aliorum ædificiorum conſuetudinem, quæ æquè atque homines vetuſtatis injuriam ſentiunt, nec firmitatem ſolùm, ſed etiam decorem ſenſim deprehendunt. Mos autem durat uſq; in præſens tempus, ut in ea turri ſepeliantur Medorum reges, & Perſarum, atque Parthorum: ejuſque cuſtodia ſacerdoti Judaici generis côncreditur. *Joſephus l.10. c. ult. Ant.*

Ptolemæus Philadelphus in Pharo inſula, non ad alium uſum, quàm ad nocturnos ignes nautarum curſui oſtendendos, turrim conſtituit talentis octingentis, Gnidio Soſtrato architecto, qui ſtructuræ tantæ ſuum inſcripſit nomen. *Plinius. lib.36. cap.12.*

C. Mecoenas, tum in aliis multis tulit magnificentiæ laudem, tum in turri illa editiſſima, quæ poſteà Mecœnaciana dicta eſt. *Suetonius*. B

Carolus Magnus in ora Oceani Germanici, Belgicique ſitæ urbis Bononiæ litore turrim inſtauravit, cujus uſus nocturno nautarum curſu ignes oſtendere, ad prænuncianda vada, portuſque introitum. Ipſe ignem incendit primus in vertice turris, quam Pharaon nunciavit Ægyptiæ imitatione. *Aventinus l.4. Annal. Bojorum, & Aimoinus*.

Venetiis, duce Dominico Mauroceno, Marciana turris, quæ è regione fori eſt D. Marci, fundata dicitur, opus ſanè admiratione dignum. Ferunt molem ipſam tam altis fundamentis impoſitam, ut penè plus operis illa hauſerint, quàm id reliquum ſit, quod extat. Ejus faſtigium, quod ex puriſſimo fulget auro in eam aſſurgit altitudinem, ut non ſolùm urbem, quam circumquaque ſubjectam habet, contemplari inde liceat: ſed ad ortum quoque, & meridiem, longè lateque, in ipſum mare aperiat proſpectum, ita ut ex Hiſtria, Dalmatiaque introrſum navigantibus ad ducenta, & ampliùs ſtadia fulgor ille, tanquam ſidus quoddam ſalutiferum, occurrit. *Sabell. lib.7. Dec.1. & lib.4. Enn.9.*

☞ *Vide Locum de Turre in particulari. Ubi de Argentinenſi, Antuerpienſi, Meclinienſi, Ultrajectina, & aliis nonnullis.* F

Valla, Moenia, Muri, Aggeres, excelſi, firmi, magnifici.

Sesostris, Ægyptiorum rex, munit ea loca, quibus ad Ægyptum patere hoſtibus ingreſſus poſſet. Duxit & murum ab eo latere Ægypti, quod Orientem verſus ad Syriam, atque Arabiam ſpectat, à Peluſio uſque ad Solis civitatem per deſertum ſtadiis mille, & quingentis. *Diodorus l.1. c.4.*

Babylonis muros (qui inter ſeptem orbis miracula recenſentur) ut *Juſtinus l.1.* docet, Semiramis condidit, aut ſaltem ruinoſos reparavit, coctilibus laterculis, & bitumine ferruminatis, ducentorum pedum altitudine, latitudine verò quinquagenorum pedum adeò, ut quadrigas inter ſe occurrẽtes reciperent, turreſque haberent trecentas, plures multò habituri, niſi aliqua ex parte paludes pro mœnibus fuiſſent. Huic autem operi portentoſo adhibita ſunt trecenta hominum millia. *Propertius lib.3.*

Perſarum ſtatuit Babylone Semiramis urbem,
Ut ſolidum cocto tolleret agger opus.
Et duo in adversùm miſit per mœnia currus, G
Ne poſſent tacto ſtringere ab axe latus.
Duxit & Euphratem medium, qua condidit arces,
Juſſit & imperio ſurgere Bactra caput.

Herodotus l.1. ſcribit, muros Babylonis habuiſſe craſſitudinem quinquaginta cubitorum regiorum, celſitudinem ducentorum. Per ambitum centum portæ ſtabant æreæ, omnes cum cardinibus. Trajanus Babylonem profectus, maximum aggerem reperit, quem excitaſſe ferebatur Semiramis. Fuit altitudine pedum vigintiquinque, latitudine quinquaginta: longitudine continebat ſtadia ſeptuaginta. *Suidas in voce*. Χῶμα.

Ἱππάρχου τειχίον, id eſt, Hipparchi murus: dicebatur res quæpiam, quæ magnis conſtaret impenſis. Hinc natum, quod Hipparchus, Piſiſtrati filius, academiam muro ſepſit: atque hujus rei nomine magnam pecuniæ vim ab Athenienſibus exegit. Auctor Suidas. *Eraſmus in Adagiis*.

In Thracia eſt urbs, quam Græci μακρὸν τεῖχος vocant, quòd illinc inciperet murus ſupra fidem ingens, uſque ad ſignum Melitum, excluderetque Cheronneſum à reliqua Thracia. Eum Milciades dux Athenienſis fecit, *Lud. Vives in l.15. D. Auguſt.* H *de Civit. Dei, cap.27.*

Demosthenes rhetor ſua pecunia muros Athenienſium refecit. *P. Æ rod. ex Demoſthene pro Corona, Plut. Libanio, & aliis.*

Dionysius tyrannus Syracuſis arcas omnes ad portum vergentes incredibili opere, & celeritate viginti dierum ſpacio muro incluſit inexpugnabili, ſexaginta millibus delectis ad opus faciendum, muro ad trecenta ſtadia producto. *Diod. l.14.*

L. Tarquinius, rex Romanorum, muros urbis rudi priùs materia eductos grandioribus ſaxis ad regulam formatis primus moliri eſt adortus. Cloacæ, quibus aquæ ſubterraneis fornicibus in Tyberim laberentur, ejuſdem opus fuiſſe creduntur. C. Aquilius auctor eſt, cloacarum repurgationem mille poſteà talentis à Cenſoribus locatam. *Sabellicus lib.4. Enn.2.*

Murum à lacu Lemano ad montem Juram, qui fines Sequanorum ab Helvetiis dividit, C. Julius Cæsar duxit millium

paſſuum xix. altitudinis pedum xvi. *Cæſar 1. Comm. Belli* A *Gall.*

Cyrus, urbis Conſtantinopolitanæ præfectus, homo ſapientiſſimus, atque induſtrius, terreſtrem Conſtantinopolis murum demolitus eſt, aliiſque duobus intervallis additis, alium murum intra ſexageſimum diem extruxit. Cujus operis ad pulchritudinem, & feſtinatam abſolutionem obſtupeſcens populus, Imperatore Theodoſio in Circo ſedente exclamavit: Conſtantinus condidit, Cyrus inſtauravit. Ea propter in invidiam venit: & Græcis rebus ſtudere per calumniam dictus, publicatis ejus bonis, raſo capite Smyrnæ Epiſcopus deligitur. *Georgius Cedrenus*.

Anastasius Imperator longum murum ſtruxit ſexaginta milliaribus ante urbem à ſeptentrionali mari verſus meridiem, milliaribus quinquaginta extentum, latitudine pedum viginti, qui μακρὸς τοῖχος ab auctoribus paſſim ex re dicitur: ne incurſiones Mœſiorum, Bulgarorum, & Scytharum officerent Reipubl. *Suidas, & Cuſpin.*

Asandrus Cherronenſi Traciæ dominus, Cherroneſi Iſthmum ductis mœnibus vallavit ad Mæotidem, ccc. ac lx. ſtadiorum ſpacio, ad ſingula ſtadia turres decem ædificans, ad B Barbarorum impetum propulſandum. *Strabo lib.7.*

Græci, irruente in Græciam Xerxe, Corinthiacum Iſthmum muro claudere ſtatuere. Ad quam rem cùm, haud ſegniter, quæ neceſſària videbantur, advecta eſſent, maturèque opus tum incitato omnium ſtudio, tum multitudine operantium ſurgeret, ad quadraginta ſtadia murus, munitioque illa porrecta eſt: omniſque aditus, quam lato à Lecheo in Cenchreos ſpatio patebat, eo ſeptus opere, clauſuſque extitit. *Diodorus l.11.* Conſtantinus Palæologus, qui noviſſimè Byzantii imperavit, Iſthmum Corinthiacum, quem Heximilum Græca voce nuncupant, inſtaurandum curavit quodam Chriſtianorum ſucceſſu, tributumque Turcorum regi ſtatuit non reddere. Verùm Pannonius, & Polonis ad Varnam ingenti prælio victis, pecunia ab Amurathe mulctatus, murum diruere juſſus eſt, Veneti bello Peloponneſiaco contra Mahometum, Turcarum regem, Corinthiacum Iſthmum munire adorti, adeò feſtinarunt, ut totam muri longitudinem, quæ ab Jonio ad Ægeum quadraginta circiter ſtadia patet, quindecim dierum ſpacio duplici foſſa, ſubitariaque molitione firmarint. Triginta millia hominum eo loco operata dicuntur: ſed veteris ſtructuræ ſaxa, C quæ ad manus fuere, materiam præbuerunt operis celeriùs, conſummandi. Verùm Turcarum multitudine territi, qui cum lxxx. millibus equitum appropinquabant, ad mare ſe receperunt. Et ſic Iſthmi munitio ſæpè aliàs infeliciter tentata, parum profuit. *Sabell. lib.6. Ennead. 10.*

Adrianus Imper. cum magna ſtrage L. Antenous legatus à Mogallo Scotorum rege affectus eſſet, ipſemet in provinciam cum legionibus Gallicanis contendit. Cæterùm cùm hoſtes ſeſe in paludes, & ſylvas, & montes inacceſſos abdidiſſent, ut prohiberentur ſaltem Pictorum, Scotorumque hoſtiles incurſiones in eam Albionis partem, quæ provincia erat Romanorum, vallum portenſæ molis, ex ceſpitibus è terra exciſis, montis inſtar altiſſima foſſa objecta, à Tinæ amnis oſtiis ad Eskam fluvium à mari Germanico ad Hibernicum uſque Oceanum, primus omnium duxit. Id vallum octoginta millia paſſuum affirmat Spartianus. M. Ant. Pius Britannos per Lollium urbicum legatum bello vicit, alterumque rebellibus inſulanis objecit murum, ceſpitibus, & gleba extructum. *Sabell. lib.4. Enn.7.* Britannorum verò annalibus, ab Adriano inchoatum, à Severo Imp. (ſed aliquot poſt annos) abſolutum, meD moriæ eſt proditum, Unde Scoticarum rerum vulgari ſcriptores id Septimii Severi vallum appellant. Nam cum defectione Fulgentiana dirutum eſſet. Severus Imper. anno imperii xiii. per Antoninum filium reficiendum curavit, per cxxxm. paſſuum propugnacula ſuperaddidit lapidea, & turres editas, ea tamen intercapedine, ut tubæ ſonus, vel adverſo vento ex una editus, in altera facilè audiretur. Unde Britannici cognomen meruit. Æneatores ſinguli ſingulis turribus adhibiti, quorum clangoribus, ſi quando hoſtes urgerent, incolæ præmoniti, armati ad vallum tutandum concurrerent. *H. Boeth. lib.5. Euſeb. anno* 210. Sed *Polyd. lib.3.* de eo ſic ſcribit: Valentiniano imperante, Scoti fœdere cum Pictis inito, Britanniam invaſerunt. Ætius, Honorii dux, legionem unam Britannis auxilio miſit. Sunt Picti, & Scoti variis inde cladibus ab Ætianis affecti, reſque Britannica perbono cœpit eſſe loco. Ergo ne deinceps ea quies ab hoſtibus turbaretur, viſum eſt ducibus legionariis per opportunum, ut murus conſtrueretur inter Romanam provinciam, & Pictorum fines: idquod, teſte Gilda, factum eſt. Verùm cum ceſpitibus magis, quàm lapidibus eſſet ædificatus, haud ſatis firmus poſteà ab hoſtium impetu fuit. Atque tum ille E demum murus confectus eſt ab Ætianis ducibus, non ab Hadriano, neque à Severo Imper. ſicut nonnulli falsò memoriæ prodiderunt, ſi Gildæ auctori Britanno credimus. Non multo poſt ex lapidibus factus eſt, quo validior eſſet, ad arcendam vim hoſtium: ſic ut minus nocere jam tum cœperint Scotorum, Pictorumque latrocinia.

Thira, Gormonis Danorum regis uxor, Harado filio poſt patrem regnante, jam bis recolens Germanorum factam terreſtri itinere in Jutiam irruptionem, à Sleſvico in mare Britannicum vallum grande jecit, foſſaque præcipiti cinxit: cujus hodiè cernitur labor, à mari Baltico in mare Britannicum: Cui primus Waldemarus rex murum ſuperaddidit, portarunque clauſtra firmavit, hodiè quoque in conſpectu arcis Gottorp, opus Danorum, appellatur. *Crantzius lib.4. Daniæ, cap.20.*

Alfonsus, Calabriæ dux, novis, & ampliſſimis muris Neapolim cinxit, nova propter id vectigalia ſuorum inſtituens *Pontanus cap.7. de Magnif.*

Domus magnificæ, tum *Regiæ, Baſilicæ, Palatia.* F

Alcinoi Phæacum regis domum, auro, argento, electro, & ebore fulgentem deſcribit *Homerus lib.7. Odyſ.*

Indorum regnum regia argenteis imaginibus tota diſtinguitur: eamque ex auro vites percurrunt, fultæ aureis columnis. *Alex. lib.5. cap.24.*

Salomon rex, templo Domini ſeptem annis abſoluto, nemorenſem Libani domum conſtruxit tredecim annis. Cujus ſplendorem. *Pete ex 3. Regum 7. & Joſeph. lib.8. Antiq. cap.5.*

Septem orbis miraculis quidam addunt domum Cyri Medorum regis, quam fabricavit Memnon, illigatis auro lapidibus.

Amasis, Ægyptiorum rex, inter reliqua ædificia præclara admirabile attulit in urbem Saim ædificium ex ſolido ſaxo ab urbe Elephantina: in quo afferendo triennium conſumpſerunt duo millia delectorum virorum, qui omnes erant gubernatores. Ejus tectum extrinſecùs eſt unius, & viginti cubitorum longitudo, quatuordecim latitudo, octo ſublimitas. Hæc eſt dimenſio exterior tecti ex uno lapide. Introrſum tamen duodeviginti, & ampliùs cubitorum eſt longitudo, quinque ſublimitas. G Domus hæc ad ingreſſum templi Minervæ collocata eſt. Nam ob id ajunt in templum non fuiſſe pertractam, quod tecto advecto, cùm ſuſpiraſſet ejus vehendi architectus, utpotè pertæſus diutino tempore operæ: ea de re ſtomachatus Amaſis non permiſerit hominem ulterius trahere. Nonnulli ajunt, quendam ex his, qui vectibus lapidem agebant, à lapide fuiſſe oppreſſum, ideòque lapidem non introductum. *Hered. lib.2.*

Socrates dicebat, Archelaum Macedoniæ regem, quadraginta minas in domum ſuam impendiſſe, conducto mercede Zeuſide Heracleota, qui picturis eam exornaret: in ſeipſum verò nihil. Et ob hanc cauſam multos è longinquis terræ partibus magno ſtudio contemplandæ domus cauſa venire: ipſius verò Archelai gratia neminem in Macedoniam proficiſci, niſi ſi quem fortè perſuaderet, pecuniis, & muneribus ineſcaret: quibus tamen honeſti, bonique viri capi non poſſènt. *Ælianus lib.14. de Var. hiſt.*

Persepolis, regiæ Perſarum arcem deſcribit *Diodorus Siculus lib.17.* ☞ *Vide infrà. Arces magnificæ.* H

Adrianus Imperator Tyburtinam villam miro ſumptu ædificavit, quæ quidem hodiè Tybur vetus appellatur: in eaque provinciarum, & locorum celeberrima nomina inſcripta erant. *Platina*.

Maximianus Herculeus Aquilejæ Palatium, ſive novum conſtruxit, ſive antiquum ornavit, atque imaginem ad ipſum Convivii aſpectum affingi juſſit: ubi Fauſta filia nondum nubilis Conſtantino adoleſcenti galeam auro, gemmiſque nitentem offerebat. Quinetiam Brixiæ Palatium condidit, quòd Herculeum appellavit: cujus ad hanc uſque ætatem nomen, atque illuſtria parietinarum veſtigia permanent. De Amphitheatro etiam Veronenſi, quod hodiè quoque à parte interiori propè integrum viſitur, aliquid jure poſſumus ſuſpicari, quando, & à quo ſit conditum, ne ipſi quidem cives oſtendunt. *Sigonius lib.1. Imp. occid.*

Luitprandus Ticin. l.6. c.2. Rer. in Europa geſt. narrat, ſe à Berengario miſſum legatum ad Conſtantinum Imperatorem Græcum, ubi ad conſpectum illius admiſſus eſt in domo regia,